



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theatrum Asceticum, Sive Meditationes Sacrae

Neumayr, Franz

Ingolstadii [u.a.], 1747

VD18 14516888

Annus Vltus de quinto gradu Conversionis perfectae, qui est Amor Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54686)

PRÆCEPTUM
AMORIS,

ARGUMENTUM
QUINQUE MEDITATIONUM
ANNI M. DCC. XLVII.

MEDITATIO I.

Diliges Dominum DEum tuum. *Marc. 12.*
S. FRANCISCUS SERAPHICUS.

ARGUMENTUM.

Per quinque gradus Augustinus (cujus Conversionem *pro Idea* perfectæ conversionis jam olim statuimus) factus est ex magno peccatore SANC-TUS, & MAGNUS, & CITO. Primum nempe pro gratia veræ poenitentiae ferventer *oravit*: deinde ex aspectu vitæ malè actæ graviter seipsum *exhorruit*: mox ab imminentibus salutis periculis abreptus est *in timorem*: postea *duce sancta spe* cum Filio prodigo rediit ad Patrem, in cujus amplexu denique facta CORDIS VERSIO admiranda *per Amorem* tam efficacem, ut deinceps Augustinum in Augustino nemo amplius reperisset. Eandem viam huc usque nos ivimus, & postquam per quatuor Annorum Meditationes quatuor priores passus consecimus, hōc Annō accingimur ad
Zzzz
quin-

quintum, totam Quadragesimam uni PRÆCEPTO AMORIS, quod primum & maximum est, considerando sacraturi. *Verba* Præcepti ex Marci c. 12. sunt: DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO, ET EX TOTA ANIMA TUA, ET EX TOTA MENTE TUA, ET EX TOTA VIRTUTE TUA! *Verborum sensus* erit Meditationum *materia*, ita, ut in prima expensuri simus Amoris *causas*, in altera *naturam*, in reliquis *effectus*, ac *gradus*: sive (quod idem est) priores duas *de affectivo*, tres posteriores *de effectivo*. Amore instituemus; uterque enim præceptus est, uterque, ut satisfacias, jungendus, eoquòd affectivus sine effectivo sit *fallax*, & effectivus sine affectivo *languescat*. Itaque in hac Quadragesima, DD. Sodales, tempus nostrum TEMPUS AMORUM erit, labor omnis *artem amandi* discere, in qua ut proficiamus facilius, in cujuslibet Meditationis Præludio comparebit ARTIS MAGISTER Christus ex *Cathedra Crucis* docens, & non tam verbò, quàm exemplo clamans *voce magna*: SIC DEUS DILEXIT: *exemplum dedi vobis*: SIC HOMO DILIGAT! Argumentò suavissimo, utilissimo, unice necessario eja! parate avidos oculos, promptas aures, corda ardentia desideriiis piis! etiam *in arte amandi* primus gradus solidi profectus est, *velle proficere*. Incipiamus.

Hodierna Meditatio prima Præcepti verba versabit: DILIGES DOMINUM DEUM TUUM! verba, quorum contemplatio S. Franciscum Assisiatem in Seraphinum mutavit, cum in montibus Alverniæ incensissimo spiritu identidem exclamaret: *DEUS meus, & omnia! DEUS meus, & omnia!* eritque adeò hujus Meditationis

Materia: Exclamatio S. Francisci Seraphici:

Puncta duo: 1. DEUS meus!
2. Et omnia!

Fructus: Altissimus de DEO conceptus, & appetitio.

Propo-

Propositum : Cū aut cupidō placendi, aut metus displicendi homini nos ad peccatum incitabit, utemur tēferā S. Michaëlis ad robur animi sustentandum aptissima : **QUIS UT DEUS ?**

PERSONÆ.

S. Franciscus Seraphicus.

Frater Ægidius Socius ei charissimus sanctissimè simplex.

Moronus latro in iisdem montibus à Francisco conversus, uti ejus vita apud P. Croiset S. J. testatur.

Comes Orlandus de Catana, qui Sancto inter montes Alvernia Monasterium edificavit.

Landinus Orlandi Cubicularius contemplationis uti imperitus, ita contemptor, ideòque Francisci derisor.

PROLOGUS.

Rationi Præceptum Amoris intelligere cupienti Fides Doctorem optimum in Cathedra Crucis exhibet.

Fides. Ratio.

Ratio. **S**illete femini-verbii; * *Circa quæstiones, & pugnas verborum.*
 Obtunditis aures, atque animum!
 Porro unum est necessarium: Luc. 10.
DILIGES DOMINUM DEUM TUUM!
 (Sic lego in Lege) **
DILIGES EX TOTO CORDE TUO!
DILIGES EX TOTA ANIMA TUA!
DILIGES EX TOTA MENTE TUA!

Theatrum bibliothecam refert, in qua Ratio interpretes Præcepti Amoris, qui satisfaciant, frustra requirit.

Zzzz 2

ET

* Abjicit libros complures cum impatientia, ** Legit ex Bibliis.

ET DILIGES EX TOTA VIRTUTE TUA!

Hoc est præceptum PRIMUM,

Præceptum MAXIMUM:

Hoc, ô boni, * docete me observare,

Cætera impunè omnia licebit ignorare.

A R I A.

Hem! quanta librorum farrago!

In tantis quid quæro? quid ago? ...

Doctrinarum omnium

Verbum est compendium:

Docear AMARE!

Ars artium ars est Amoris:

Docere (est munus Doctoris)

Quæ sint artis *regula*,

Unde profecturam me

Liceat sperare:

Docear AMARE!

Fides. Jo! placent pia desideria! ... **

Salve Soror charissima!

Video occupatam, & *turbatam* erga plurima.

Ratio. Cùm Pater optimus *Prodigam* recepit in gratiam,

Jussit me, diligere se.

Igitur jam

Tempus meum, ô Soror,

Est *tempus Amorum*, Ezech. 12.

Adeoque *tempus turbarum*, & *tempus curarum*,

Donec inveniam, qui *ad regulam*

Suavissimos motus amantis animæ

Docuerit componere.

Fides.

Ad Auctores librorum. ** Scorsim.

Fides. Amanti longa nimis via est per præcepta,
Brevior per exempla: omitte cætera,
Huc oculos conjice! hic liber docebit omnia. *

Ratio. Heu! Amor meus Crucifixus est!

Fides. Ecce: qui jussit amari se,
Ipse prior amavit te,
Et amavit EX TOTO CORDE SUO!
Amavit EX TOTA ANIMA SUA!
Amavit EX TOTA VIRTUTE SUA!
Exemplum dedit: sequere!
SIC HOMINEM DEUS DILEXIT:
SIC HOMO DEUM DILIGE!

A R I A.

I.

Cælum, terra, obstupesce!
Inferi tremiscite!
DEus, (homo exhorresce!)
Potuit diligere,
Et dilexit (Crux est testis)
TOTO SE dilexit te!
Redamantes! ubi estis! ...
Eja! SIC diligite.

2.

SIC amare docet DEus:
Vide, clamat, vide me!
Unus est affectus meus:
TOTO CORDE amo te!
Nihil SUPRA est, quod amo,
Nihil amo PRÆTER TE!
Et te SINE MODO amo!
En! amoris regule.

* Exhibitio.

Zzzz 3

Ratio.

Ratio. Enimverò intelligo,
 Et bona est interpretatio:
 Amor meus, amabo te,
 SICUT tu amâsti me!
 DEum *toto corde* diligere,
 Est, nihil diligere *supra DEum*,
 Nihil diligere *præter DEum*,
 DEum autem *sine modo* diligere
 Sufficit: quod volebam, didici,
 Et continuò ad pedes Domini
 Cum Magdalena incipiam exequi.

Fides. Laudo consilium:
 Non est *schola Amoris* aptior,
 Non Magister peritior. *
 Eja! huc festinate,
 Quotquot amare prudenter, & sapidè
 Cupitis perdiscere!

A R I A.

Invito ad scholam Amoris:
 Discite amare!
 Res plena est iusti doloris.
 Artem ignorare,
 Cujus defectus
 Pravos affectus
 In cordibus facit regnare:
 Discite amare.
 Plerique amantes amentes
 Nobilem in vano

* Claudicuz,

Affectum

Affectum objecto figentes
 Impetu non sano
 Agunt, aguntur,
 Furunt, rumpuntur!
 Vis scire, cur vivant amarè?
 Nesciunt amare.



MEDITATIONIS I.

De S. Francisco Seraphico

PUNCTUM I.

DEUS MEUS.

SCENA I.

Franciscus. Ægidius.

Franc. **Æ**Gidi Frater! æstuat pectus hodie ardentius solito,
 sic, ut vita in fastidio, mors in desiderio sit: beata
 mors, quæ me Dilecto jungat meo! O DEUS, quis ut tu,
in te? .. O DEUS quis ut tu, *erga me?* ... *Ægid.* Tangis gemi-
 num punctum, Pater, momenti summi: Quis sit DEUS *in se*, &
 quis *erga me*. Ah! si intelligam bene, fieri poterit, ut Amor frigeat?
Franc. DEUS MEUS, iussisti, ut amem te: da, quod ju-
 bes! da ut toto corde, tota anima, tota mente, totis viribus
 amem! .. O verè præceptum *maximum*, quia solius DEI. Ægi-
 di, Reges nostri præcipere, *ut obediamus*, possunt: *ut amemus*-
 cupere, & mereri possunt, jubere non possunt: Solius DEI est
 amari velle non solum *titulò meriti*, sed etiam *titulò præcepti*: So-
 lus

lus DEus est cordium Dominus. *Ægid.* Sequitur, quòd sicut ex pluribus titulis crescit amandi obligatio, ita crescere debeat satisfaciendi sollicitudo. *Franc.* Et quidem sollicitudo satisfaciendi cum perfectione! Amor DEI non modò præceptus est, sed & *Finis* omnium præceptorum, ita ut cætera præcepta omnia sint *mera media*, quorum adminiculò præceptum Amoris certius, facilius, perfectius impleatur. *Ægid.* Paucissimi, credo, hanc doctrinam intelligunt: plerosque ut servent decalogum, *timor*, non amor impellit. *Franc.* Idem timor, ut servent *ex Amore*, impellat; nam nisi *ex Amore* servent, utique præceptum primum, & maximum non servant: unde erit salutis spes? Frater mi, *Et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuerò, nihil sum!* 1. Cor. 13. Itaque hic ordo est in via gratiæ: *Timor* trahit in rectam semitam: *Obedientia* comitatur: *Charitas* excipit, & *veste nuptiali* induit animam, sine qua nemo in cœna magna comparet impunè. *Ægid.* Quasi diceret: *initium* Sapientiæ timor est, *obedientia medium*, *charitas finis*, ita, ut neque timor, neque obedientia DEO placeat, nisi quæ exercetur, vel *QUIA* Charitas imperat, vel *UT* Charitas reviviscat, nutriatur, aut crescat. *Franc.* Rectè percepisti, quod volo. Vides, quanta sit Amoris *necessitas*, utique maxima, quia præcepti maximi. *Æquitas*, *honestas*, *utilitas*, *jucunditas* ut pensentur, non est opus ingenio. Amorem sui certè omne bonum velut suo jure sibi exigit; igitur ut bonum majus ametur plùs, & bonum summum ametur summè, quid est *æquius*? deinde amare, est ei, quem amas, cor donare, quod Amoris est sedes: porro DEI est cor nostrum *Jure effectiois*, quia pro se creavit, *Jure emptionis*, quia pretiò magno redemit, *Jure donationis*, quia libera voluntate, quam infantes in baptismo juravimus, confirmavimus adultè servitutis obligationem: quid est *honestius*, quàm quod tot nominibùs DEI est, DEO reddere? facimus, quod *Justitia* postulat, & *vera Sapiencia* summis laudibùs commendat. *Accedit utili-*

utilitas, quippe omnia bona veniunt animæ pariter *cum Amore*: Diligentes se diligit DEUS, & nunquam est sterilis illius dilectio, qui etiam *super odientes se* Solem oriri facit. Et *Jucunditas* quanta est Charitatis! dulcescunt ipsæ molestiæ: nescit Amor, quid jugum, quid labor, quid dolor sit. *Ægid.* Nihil ergo Amoris Exercitium nisi *difficultas* sufflammat. *Franc.* Difficultas? mi Frater! quanto igitur tempore, quantis sumptibus, quanto labore, ut ames, est opus? *Ægid.* Nullo utique: sed nimirum qui sensibus ducimur, non facile *objecto invisibili* Amorem affigimus abstrahendum *per vim* ab objectis, quæ oculos feriunt. *Franc.* Assentirer *Ægidio*, si *merum animal* essem. Nunc, DEO sint laudes! pars mei præcipua *Spiritus* est, Spiritus non cæcus sanè, sed qui oculos habet ab oculis animalis diversos: his oculis cælos pervideo, & Divinitatem intueor, quasi per speculum quidem, & in ænigmate, sic tamen, ut ipsa caligo admirabili luce resplendet. In hac caligine *RATIO*, & *FIDES* DEUM meum mihi exhibent: video invisibilem, video, & admiror, & amo, & laudo, & amplector, & teneo illum, & in illo deficio! *Ægid.* Tibi, Pater, hæc facilia sunt, quippe qui Aquila magnarum alarum es, quibus usque ad inspectionem Divini Solis te evehis: Sed simplex Fraterculus, qui instar cochleæ humi repit, trahens cor in terra, quomodo se attollet? *Franc.* Mendax ignavia mentitur te talem tibi. Qui præceptum Amoris promiscuè omnibus promulgavit, omnibus necessarias alas ad volatum, & oculos ad sui aspectum dedit: *in usu* differentia est: *ad usum* te excita. Eja! volemus simul! *Ægid.* Trahe me! *Franc.* Hic sta! .. brachia in Crucem forma! .. oculos cælo fige! .. jam dimitte corpus, & spiritum colloca ponè ad Thronum DEI! .. descende iterum, & in abyssò tui nihili submerge te! .. inde fide viva clamore interno de profundis clama: DEUS MEUS! .. habes verbum breve, sed sensum gravem, qui tuæ contemplationis materia sit. DEUS vox est, cui respondens Idea *Amorem estimationis*

A a a a

mationis

mationis, MEUS vox est, cujus ruminatio *Amorem tenerrimæ affectionis* exsuscitat. DEUS in SE quis est? quis non est? intue-
re aspectu fixo, & admirare! lauda! plaude! DEUS ERGA TE,
quis fuit? quis est? quis erit? adora! stringe! ama! .. Habes,
unde occupes te: jamque liber es: stans, sedens, flectens, am-
bulans, situ, quo voles, utens ruminare, quæ dixi: ego à te di-
visus argumentum idem solitarius masticabo. DEUS! DEUS
MEUS! da, ut gustent, ut videant te servi tui!

S C E N A II.

Ægidius. Orlandus. Landinus.

Ægidius. DEUS IN SE quis est? quis non est? .. juva me cæ-
lum! ingredior lucem caliginosam, quâ septus
meipsum perdo! .. video DEum, & non video, nam DEUS IN
SE nihil est eorum, quæ video! .. velut ex alta rupe pendens
intueor immensum mare, cui totus globus terraqueus quasi gra-
num piperis innatat: intueor, & oculi præ stupore deficiunt! ..
Orland. Ægidium video. Ecce! in contemplatione absorptus
est. *Ægid.* Inspicio per infinita spatia diffusum ignem, qui to-
tum orbem communi ardore complectitur, & placidissimis flam-
mis involvit: liquescit animus in hoc aspectu! ubi sum? .. *Land.*
Phantasmata loquitur cerebri delirantis. Here, opportunè nos
huc attulimus: tandem oculis tuis credes, quòd homines fana-
ticos foveas, qui imaginationem cum contemplatione confun-
dunt. *Orland.* Sile modò: patebit, num verum dicas. *Ægid.*
Ascendo à terra sursum! prò! ut sensim vanescit orbis! .. jam in
punctum se contrahit! .. *Land.* Enimverò idem somnium me
nuper tenuit. *Orland.* Silentium impero: non tu parebis? *Ægid.*
Video Dominum in media luce! in Sole posuit tabernaculum
suum: terra scabellum pedum ejus: in femore scriptum lego:

Rex

Rex Regum, & Dominus Dominantium! mille millia, & decies centena millia Angelorum circumstant ad obsequium! O Majestas! ô splendor! ô ignis sacer! ô mare Divinum! cum te non possim capere, cape me!... *Orland.* Audis, Landine, quàm sublimem de DEo sensum simplex fraterculus foveat? *Land.* Quod audivit, garrit, quin intelligat voces. *Ægid.* O gaudium! ô suavitas! ô dulcedo aspectus! ô DEus, ô si te homines nôssent, ut es in te! Ah! vix per umbram te video, & jam ferendis deliciis non sufficit pectus! satis est, Domine, pro Ægidio satis! heu! verba non suppetunt simplici homulo, ut exprimam, quàm te amem! quàm de te gaudeam! quàm desiderem tibi placere! *Orland.* Eja! non tibi hic fervor placet? ego jam simili igne ardeo. *Land.* Ego plùs quàm antè frigesco. *Ægid.* O si cor meum cor unum cum corde Francisci foret! Domine, ille suppleat, quod deest mihi! Francisci suspiria sint mea suspiria, affectus Francisci affectus mei, verba Francisci verba mea! *Orland.* Ægidi, totus candescis hodie: quis ardor habet? *Ægid.* Ah! Domine, quas delicias turbas? de cælo in cœnum detrahis felicem spiritum! ubi fui? *Land.* In concavo lunæ utique, inter Angelorum choreas. *Orland.* Redire tibi licet ad tua gaudia, modò ad Franciscum duxeris: lubet pernoctare vobiscum, & virum sanctum de rebus animæ noctu cum Nicodemo consulere: diem, ut fit, aliæ nobis nugæ rapiunt. *Ægid.* Subire cellulam lubeat: requiram virum: lætus excipiet gratissimos hospites. *Land.* Et cœnam, cubile, lectum dabitis Comite Orlando dignum? *Ægid.* Nolite solliciti esse: noctem jucundam agemus, belluaturi strenuè, usque ad plenissimam ebrietatem, quam placidissimus somnus excipiet inter plausus, & cantica. *Land.* Insignis devotio! & bonum propinabitis vinum? *Ægid.* Suavissimum, generosissimum, omni Cretico, Massico, Falerno melius. Si placet, introducam vos in nostram cellam vinariam, ut ibi gustetis, quod narro. *Land.* Huc usque stupidos homines credidi: jam insuper hypocritas video. *Or-*

A a a a 2

land.

land. Tu stultescis, Landine, qui malè interpretaris idioma, cujus ne quidem primas litteras didicisti. Ægid. Iste, credo, credit mentiri me vobis! at age, bone vir, sequere me! inebriabo te *vinò compunctionis*, & dilatabitur cor tuum: cantabis Domino canticum novum, quod nunquam cecinisti, discésque experimento, quàm suavis sit Dominus contemplantibus se. Land. Nugator es: ego non intelligo istas voces. Ægid. Propterea in parabolis loquimur, ut, qui *vite Amoris* non assueverunt, ex deliciis corporis delicias animæ utcunque metiri possint. Jam sine parabola dico tibi: cœna, quam dabimus hero, spirituale convivium erit, quod sequetur spiritualis ebrietas, & mysticus somnus. Land. Sile frater: jam satur sum. Ægid. Satur? à filiis nempe: scilicet quia cibus nobilior homini animali non sapit. Land. Homini animali! num tu non es animal? Ægid. Etiam, sed non merum animal: curo, ut anima animali imperet, non animal animæ. Land. Jactantia vetus! at quidquid in verbis ludas, illudis tibi: anima immersa carni non potest non (ut ita loquar) animalizare: sensus rapiunt invitam pænè. Ægid. Sic est, nisi per vitæ contemplativæ exercitamenta didicerit ex lacuna emergere, & assumptis alis assueverit habitare *in foraminibus petreæ, in caverna macerie*, Cant. 2. Ibi spiritus cum cœpit epulari, desipit omnis caro, & quidquid titillat sensum, abjicitur cum nausea. Land. His verborum coloribus dementâstis herum meum; scio, & doleo: me non capietis, quia neque ego capio, quid sit contemplari, neque quòd in contemplando possit voluptas esse. Orland. Ægidi, cum homine ignorante, & superbo agis: doce ad captum, quæ Franciscus te docuit. Ægid. Tu non capis, quid sit contemplari? non habes intellectum? intellectus est oculus animæ: hòc oculo intueri DEUM, est contemplari: & adèd *contemplatio* denique est *simplex intuitus veritatis revelatæ cum admiratione, & amore*: quid? difficilis captu hæc descriptio sit? Land. Hebraicè loqueris. Ægid. Igitur vernaculâ utar. Eu-
ge

ge vir bone, nunquid uxorem habes? *Land.* Habeo. *Ægid.* Et formosam? *Land.* Pro me satis: quid ad te, Monache? *Ægid.* Nunquam illam intueris aspectu fixo? *Land.* Curiosus est homo. *Ægid.* Et cum sic intueris, nunquid admiratio venustatis semovet, & ex admiratione amor accenditur, iterumque ex amore cupido repetendi intuitum, & ex repetito intuitu novus amor? quid? non est hoc loqui vernaculè, & sic loquentem intelligis demum: aut an ne sic quidem? *Land.* Imò satis: sed quorsum tu talia? *Ægid.* Nimirum sic ego contemplor DEUM: & contemplatio amorem gignit, amor autem novam sitim inflammat iterum, iterumque intuendi Dominum *decorum nimis*, infinities *amabilem super amorem mulierum*, 2. Reg. 1. DEUS MEUS *objectum* intuitus mei est, *modus* admiratio, & Amor, *effectus* liquidissimum animi gaudium, *fructus* contemptus omnium, quæ DEUS non sunt. O DEUS, quis ut tu *in te!* . . . O DEUS MEUS, quis ut tu *erga me!* Sed quò abripior! . . . requirendus mihi Franciscus est.

S C E N A III.

Orlandus. Landinus.

Orlandus. **P**erge! sapias frater mi, & si talis discipulus est, con-
jicio, quantus Magister sit. *Landine*, quis est animus tibi? *Land.* Here, totum turbavit Ægidius, & tu magis, qui hominem audacissimum laudas. Ego sentio cum multis sapientibus, & credo, quòd isti contemplantes in phaleris verborum plus placeant sibi, quàm ratio vitæ meretur. *Orland.* Non rectè judicas: propterea huc adduxi te, ut experienciã doctus errorem dedisceres. Vita contemplativa VITA AMORIS est, quam qui elegit, haud dubiè optimam partem elegit: vitam elegit illi similem, quam olim æternum vivemus in cælis. O vita felix! ô sanctum otium! ô beata conditio, cujus una occupatio,

Aaaaa 3

&

& omne negotium est AMARE. *Land.* Bene! bene! relinquamus igitur Coelitibus hoc negotium, & illis, quos procul à curis sæculi ad eremum vocavit DEUS: tibi, qui tot ditionum es Dominus, incumbunt labores alii, quibus ut satisfacias, vix reperias interdum horam, quâ obiter de DEO cogites. *Orland.* Molevolus es mihi tu, qui vis, ut perpetuò me transtris alligem, quin respirem aliquando liberiùs à misera sorte remigum, ad illos me transferens, qui sine labore provehuntur, in marium, portuum, fiderum prospectu quietè, ac liberè se oblectantes. Equidem scio, quòd non sim eremo natus; verùm, Landine (ita me frequentior conversatio cum Sanctis docuit, & usus convicit) hoc Animæ est contemplatio, quod somnus corpori: postquam has delicias indulsi spiritui, redeo alacrior ad mea tædia, laborique, quem Ratio Statûs imperat, sic impendor feliciter, ut uno die plus præstem, quàm si nulla quiete sacra refocillatus integrâ hebdomadâ laborâssem. Tanti est observare Sapientiæ dogma: *Omnia tempus habent.* Eccl. 3. Age, abjice præjudicia, quibus contra contemplationis æstimationem animus obstinatur! ad delicias adduxi te: magnas, singulares, cælestium æmulas pro hac nocte Franciscus spondet: læti erimus! certum est ex Ægidio præfagium mihi.

S C E N A IV.

Orlandus. Landinus. Ægidius.

Ægidius. **H**eu! Domine, grave malum denuntio. *Orland.* Nempe quod? *Land.* Hem! læti erimus. *Ægid.* Dum Franciscum requiro, repentè ex colle despicienti in vallem, se mihi Moronus exhibet, magnis passibus huc adproperans. Festinate in latebras: tempus monet, & latronis ferocia. *Orland.* Solus accedit, an cum comitibus? *Ægid.* Solitarium vidi, & vul-

tu

tu torvo nescio quod facinus meditantem: nam armis omnis generis accinctus ambulat. Fugite! *Orland.* Apage fugæ dedecus! Landine, strictis gladiis in hostem imus. *Land.* Sequor ducem: sed tu hinc disce, here, quid tibi familiaritas cum his Fraterculis proffit. *Ægid.* Non sino ire, nec DEUS finit. Orlande, ut iste locus alterna foedetur cæde, Franciscus nolit. Latere juvat: sequimini me! in avia abducam, unde securi spectabitis Moroni consilium: ego examinabo. *Land.* Neque metuis tibi? *Ægid.* Viator nudus prædonem non timet. *Orland.* Bene mones: præcipite impetu agendum est nihil: sequemur te. *Ægid.* Possētis intempestivâ audaciâ evertere magnam spem, quam de conversione hominis scelerati Franciscus concepit. Sæpius ille ad virum invisit, nec audit invitæ salutis monita: Fortè hæc est hora, quâ misereri animæ misericors DEUS constituit. *Land.* Rem magnam præstas, ex lupo si agnum facias. *Ægid.* DEUS faciet. *Orland.* Utinam venire liceat in lætitiæ partem, & congratulari Francisco de peccatore poenitentiam agente! *Ægid.* Utinam! en! hoc est latibulum.

S C E N A V.

Moronus. Ægidius.

Moronus. **A**Udivi humanas voces: tene pedem Morone! fortè ministri Justitiæ sunt, missi, ut te rapiant ad tribunal. *Ægid.* Audisti humanas voces, & terreris infelix: quousque te undique Divinæ voces circumsonant, & aures obturas? *Mor.* Tu es Ægidi? nihil metue: hodie bonus sum: Franciscum velim, ubi est? *Ægid.* Franciscum vis: nempe ut cum jactura temporis inanibus spebûs fallas? nemo sapiens libenter littus arat, aut lavat Æthiopem: Franciscus DEO vacat, non tibi. *Mor.* Scio, quòd DEO vacet: nam hisce oculis vidi cursantem per montes, & valles: his auribûs audivi silvas im-
plen-

plentem gemitibus, & clamantem clamoribus miserandis: O DEUS, quis ut tu *in te!* .. O DEUS MEUS, quis ut tu, *ergame!* .. ô si te homines nôssent! sed eheu! Amor non amatur! .. Ægidi, crede mihi, sic viscera commovit ista vociferatio, ut tandem statuerim me ipsi dedere. Itaque secutus currentem fui, certus hæc instrumenta iniquitatis adsternere sacris pedibus. Verùm dum arma colligo, ille evanuit mihi; viam ergò ingressus ad cellulam fui: non est intus? Ægid. Hypocrisin iste habitus loquitur: quod facis, fac, & quoniam perire lubet, peri, sic me jubet Apostolus loqui: *qui non amat Dominum Jesum Christum, sit anathema!* 1. Cor. 6. Mor. Ferox es mihi tu: mitior, spero, Franciscus erit, & mitissimus DEUS, quem ille truncis, ac petris adeò amabilem prædicat. Ægid. Etiam ego mitis sum seriò pœnitenti: sed de te suspicor, ne odor prædæ huc adduxerit. Unde probabis te?

S C E N A VI.

Franciscus, Moronus. Ægidius.

Franciscus. **O** Cautes! Ægid. Quanquam ecce Franciscum audio! Franc. O rupes! Ægid. Ipsi te proba! Franc. O saxa, tandem liquecite in Amorem! Mor. Ipse est, probabo me! Franc. O DEUS! vox grandis! Ægid. Uterque condimur: audiamus, quò Spiritus virum efferat. Mor. Audiam, & observabo, ut ampliùs efferveat cor in pœnitentis affectum. Franc. O DEUS! quis ut tu IN TE? .. *DEUS es, unus DEUS, trinus DEUS, quanta habeo incitamenta amandi te, propter te!* .. DEUS es! quid dico, cùm dico: DEUS ES! Dominum nomino, cui omnia suam originem debent, quæ sunt, & qui suam originem nulli debet: Dominum nomino non unius provinciæ, non unius regni, non solius mundi, sed cæli, & terræ, sine restrictione, sine conditione, sine vinculo: ita mihi natura loquitur,

tur, ita sensus populorum, ita Ratio. Cùm tonat cælum, cùm scindit scopulos fulmen, cùm tellus dehiscit, enimverò ne Pharaò quidem clamat: *Nescio Dominum!* sed *rogate Dominum pro me!* etiam impiissimus ingeminat. Hæc vox *naturæ* est, & adeò *vox communis*, ut in adversis nemo sit, qui non oculos in cælum jactet, sive ut opem petat, sive ut blâsphemet saltem! Detestor impios! sed hoc admiror, quòd neque in impiis deficiat *Ratio*. Eja! quam lucem inhabitat, qui ne quidem ignorari ab ignorantibus potest! ô plausus cordis mei! ô jubilus! ô lætitia! *Mor.* O cæcitas cordis mei! ô perversio! ô miseria! .. *Franc.* Et qui tantus est, UNUS est! exulta anima! unus est *necessarius* tibi, & unus *sufficit!* ô Coelites, quæ lux de cælo circumfulget me si bitò! unus est *necessarius*, qui si non amat me, æternùm *miser* sum: unus *sufficit*, qui si desertum ab omnibus tuetur solus, *beatus* sum! Veritas læta! ab uno pendeo! in uno quiesco! miseret me tui, quisquis pluribus indiges! *Mor.* Utinam sensus idem fuisset mihi! *Franc.* Verùm qui unus est, ut sit SUMMUS, insuper trinus est, ut sit FELIX: nulla est sine societate felicitas, ut nec sine cognitione, nec sine Amore. Nunc utinam ex angustiis corporis dimissa mens evolare in tertium coelum posset, quantis deliciis innatarem, de facie ad faciem videns, quàm beatus sit DEUS, quem amo! amo autem? certè *amari* meretur, quia UNUS DEUS est: nemo Amore dignior: *amari solus* meretur, quia UNUS DEUS est: & *amari sine modo* meretur, quia TRINUS est. Trinitas omnem gratulationis materiam habet: Trinitas demonstrat, quòd DEUS, ut felix sit, re nulla indigeat extra se: Trinitas docet, quòd DEUS sit bonum, in quo sunt omnia bona! talis est DEUS IN SE, & quis est similis ipsi? quis dignior *Amore æstimativo* super omnia! ... *Mor.* O Francisce! utinam ego habeam oculos tuos! *Franc.* Sed jam file Ratio, file Fides! tu loquere Charitas! O DEUS, ô si te homines nôssent, qui sis *in te!* .. quare autem ignorant te? .. quare ego hanc ignorantiam

fio

B b b b b

tole-

tolero! ô ut tantum sit robur vocis, ut ab Oriente usque in Occidentem audiar! ibo! ibo (nam cur uni me valli includo?) ibo per provincias & regna, & dicam obviis: quousque dissipatis amores vestros? DEum amate *super omnia*, quia DEus est! *præter DEum* amate nihil, quia *unus* est! DEum *sine modo* amate, quia *trinus* est, & licet vestro amore non indigeat, tamen à vobis amari cupit! *Ægidi!* *Ægid.* Vocor: tu sequere paulò post, *Franc.* *Ægidi!* *Ægid.* Ecce ego! quid imperas Pater? *Franc.* Ubi eras? *Ægid.* Amores tuos ex angulo arbitrabar. *Franc.* Frigidus Amor est, qui non accendit: imus per orbem terrarum, accendimus omnia, & inflammamus. *Ægid.* Sequor alacer. Unum obsecro, ne ex hac silva abeas, quin tecum Moronum trahas: aut quid? qui vastum orbem complecteris animò, num æquum est, ut animam excludas cellæ vicinam tuæ? *Franc.* Rectè exprobras. Jam decem dies hic DEO vaco: & adhuc inimicum DEI patior ad latus mihi, latronem fero? ignavia morte digna! utinam sanguine profuso eluam! occurram leoni rabido, discerpam, immolabo Amori, armatus Amore. *Mor.* Me, nifalor, hæ minæ feriunt. *Franc.* Te omnino, te Morone armatum inermis provocho ad certamen! arma expedi: pugna est decretoria: alteruter dum ceciderit, non erit duello finis. *Mor.* Vixisti Pater: jam ante pugnam cado ad pedes tibi, & expecto, quid velis. *Franc.* Non ultra vanis me verbis ludes: tandem & sanctus Amor fit sanctus furor: poenitet fuisse lenem, & in tantis injuriis DEI mei diutiùs, quàm erat par, patientem. Surge infelix! jam nulla est spes pacis super, nisi in mea, aut tua morte: alterutrâ placari victimâ Numen offensum debet. *Mor.* Quoniam sic mecum agitur, exarde furor! tot reus cædium iterum in cædem stringatur mucro! *Franc.* Eja! hic fulgor placet! *Mor.* Qua parte corporis vis figi ferrum? gulam scindam? pectus fodiam? aut rimer viscera? *Franc.* Cor seca, impie, cor seca, ut videas, quàm te pro DEO amem. *Ægid.* Prò Superi! quæ hæc est

est scena! *Mor.* Errâsti, Pater! meum, non tuum sanguinem hæc fida sitit: expecto sententiam. *Franc.* Erras, Frater! non est Sacerdos idem, & hostia, quæ offertur: à me occidi debes, aut me occidere. *Mor.* Igitur cape cultrum, & capulo tenus immerge pectori: sic erit finis scelerum, quæ patravi. *Franc.* Rursum erras: mori *per moram* debes, hæc stat sententia. Si renuis, age, irruere, & de severo Judice vindictam sume. *Mor.* Quidquid decreveris, mite supplicium erit: abite arma impia! in potestate sum. *Franc.* Igitur rem serio agimus. *Ægidi,* solve funem, & ligatum hominem ad crucem trahe! *Ægid.* Patieris imperium? *Mor.* Ecce manus, & pedes habes. *Franc.* Decrevi mortis genus illo, quò reos Justitia humana plectit, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. Vives Morone, ita tamen, ut quotidie moriaris. Procumbe humi, & donec redeam, recogita omnes annos tuos in amarissima amaritudine animæ tuæ! Materia tui affectûs sit DEUS TUUS erga te! cogita, qualis fuerit, qui ab æterno cogitavit de te, qualis sit, qui patienter ad eum te expectat in tempore, qualis futurus sit, qui te judicabit pro æternitate: in singulis incitamenta teneri affectûs, & acerbi doloris habes. *Mor.* Habeo, meditabor: tu mihi salubres motus à coelo impetra.

S C E N A VII.

Franciscus. Ægidius. Orlandus. Landinus.

Franciscus. **O!** Qui latronem exaudisti ad latus pendentem tibi, huic quoque spem dedisti prostrato ad pedem crucis. *Ægid.* Jo victoria! in partem gaudii Orlandus etiam, & Landinus veniant. *Franc.* O quis te bonus Orlande genius hodie adduxit mihi, ut spectaculum videres dignum plausu totius coeli! *Orland.* Audivimus, & vidimus omnia, Pater: quò cordis jubilo, lingua explicare non potest. Dedisti scenam, quæ

Bbbbb 2

quem

quem non recreat, non amat DEUM: laudetur *super omnia* amabilis, imò *solus* amabilis, & *sine modo* amabilis DEUS! Amoris incitamenta percepi, fructum spectavi: ô faciat in me Amor similem metamorphosin! Amo te, DEUS, quia DEUS es, quia unus, quia trinus *in te*! Ah! amem amplius, neque *appretiative* tantum, sed etiam *intense* amem! *Franc.* Intendet se tantum amor, quantum contemplatio. Placet intrare mecum, & hanc noctem Amori dare? *Orland.* Propterea huc me attuli. Landine, quæ mens est tibi? nam si consilium displicet, redire per me in castrum, priusquam noctescat, licet. *Ægid.* Attonitus mihi videtur homo. *Land.* Et verè sum. Sic me sibi spectaculum, quod vidi, rapuit, ut facile jam contemplantibus credam, quòd detur extasis. *Orland.* Novus est fructus: speremus adhuc majorem. *Franc.* Incipientibus, proficientibus, perfectis, nemini non, Exercitium Amoris prodest: Moronus probat: exerceamur! *Omnes.* Exerceamur! & omne tempus vitæ posthac nobis *tempus Amorum* sit!

CHORUS.

De Reformatione Megacosmi consultatio.

Megacosinus. Zoroastres. Zaleucus. Solon. Lycurgus.
Numa. Moyses. Amor de cælo.

Megacos. **R**Es est momenti maximi!
Propter quam consulo vos,
Viri consultissimi!
Reviviscite! audite me!
Confusa est tota Megacosmi familia,
Jus fâsque calcatur, & regnat licentia:
Debita legibus exulare coacta est reverentia,
Totum

Theatrum exhibit
bet Antiquarium,
& Statuas Legislatorum.

Totum terrarum orbem occupat Babylonia,

Malum, quod premit, cernite

In Imagine. *

* Exhibitio agri vastati.

A R I A.

1.

Olim, ah! olim hic ager florebat,

Densissima seges in eo ridebat:

Illata est horreis meis

Pinguissimi tritici maxima vis;

Modò, quis credat, quòd olim magnorum

Immenso excultus labore virorum,

Et falsis à tot, & à tantis,

Rigatus sudoribus ager tu sis?

2.

Ager, non ager, sed grande dumetum!

Quale de te erit Coeli decretum?

Cur recreet gelido rore?

Cur fertilem imbrem effundat in te?

Munera ipsa in damnum vertentur,

Zizania, spinæ, urticæ alentur:

Silvesces, & loci horrore

Allecti dracones cubabunt in te.

Agite, viri, audiam oracula:

Consultate de remedio:

Necessaria est reformatio.

Zoroastres. Per quæ quid nascitur,

Per eadem servatur, & reparatur.

Zaleucus. Abiectos resume ligones, ac sarculos:

Sic ager purgatur.

Solon. Suademus, quod fecimus,

Bbbbb 3

Cùm

Cum Legislatores

Suæ quisque Provinciæ fuimus.

Zoroastres. Populi Reges pro Diis habento!

Ex hac lege Zoroastres Persas excolui,

Zaleucus. In legum cura Reges subditis præluento!

Sic ego Zaleucus Locrensis præfui.

Solon. Judices legum vindices inexorabiles sunt!

Sic ego Solon Arcopagitas institui.

Lycurgus. Horrorem scelerum Liberi cum lacte bibunto!

Ita Lycurgus Spartanos,

Numa. Religionem omnes summa religione colunto!

Ita Numa formavit Romanos.

A R I O S E.

Numa. Religio, Religio

Est frænum populorum:

Lycurgus. Puerorum institutio

Est disciplina morum:

Solon. Utrique benè consulit

Acerbitas pænarum:

Zaleucus. Acerbitas nil proficit,

Si reus es culparum,

In aliis quas plectis:

Si Rex es inculpabilis,

Zoroastres. Si Rex es venerabilis,

Solon. Si Rex es formidabilis,

Omnes tres. Coronam tibi nectis!

Lycurgus. Si pueros emendaveris,

Numa. Si Deos exaltaveris,

Uterque. Ad nutus plebem flectis.

Zoroastres. Regentum veneratio,

Solon. Nocentium punitio,

Cum

Zaleucus.

Zaleucus. Exemplum Principum,
Numa. Respectus Numinum,
Lycurgus. Puerorum educatio
Omnes. Est orbis Reformatio.

Megacos. Bona, viri boni,
 Sed lenta præscribitis remedia,
 Nec habitura effectum,
 Quam commendet constantia.
 Omnia, quæ suafistis,
 Ex his Decalogi tabulis excerpstis:
 Omnia populo meo adhibui,
 Et quid profui?

A R I A.

1.

Ut taurus, si velis domare,
 Mox incipit cornu jactare,
 Nec diu sub onere gemit:
 Assurgit, recalcitrat, fremit,
 Et excutiet jugum à se:
 Sic gens mea furens surrexit in me.

2.

A primo hoc malum parente,
 Heu! nimis serpenti credente
 In posteros coepit grassari,
 Ut nemo se ferat ligari:
 Ex legibus vivere stat,
 Quas spes, & cupido, & impetus dat.

Megacos. Siccine? ergò tu jubes desperare me?
Moyfes. Despera de te: consilium à coelo expete.

*Ecce!

*Ecce! exhibet se imago primæ Ecclesiæ: * Exhibito.

Inde exemplar accipe.

Longus est labor ligonibus, & sarculis agere:

Ignem Amor, ignem venit in terram mittere,

Per ignem agrum purgavit celerrimè,

Amoris inflammatio

Fuit legum omnium instauratio,

Fuit orbis reformatio!

Megacos. Quò raptor? quid video?

Amor. Ita: Amoris inflammatio

Est orbis reformatio:

Et frustra Legislatores, ac leges multiplicatis,

Nisi legem *Amoris* renovatis.

A R I A.

I.

Lex Amoris observetur:

Amor legis mox sequetur,

Et *Amorem cultus*:

Multæ leges, nullæ leges!

Nisi diligantur Reges,

Non est cultor multus.

2.

Leges ligant, & ligati

Pretiosæ libertati

Graves sunt catenæ;

Sed tu ama te ligantem:

Torquem habes te ornantem,

Suaves erunt pænæ.

Megacos. Benè est: Politica abite consilia!

In uno habeo omnia:

*Ecce!

Ut

Ut mundo benè sit, lex Amoris servetur,
LEGISLATOR AMETUR!

A R I A.

^{1.}
Ametur!

Amari meretur:

Et DEUS,

EST DOMINUS MEUS,

Dominus OPTIMUS.

Dominus MAXIMUS:

Ametur! meretur!

Ex hac Amoris regula

Tota familia

Megacosmi reformetur!

^{2.}

Amor formavit me:

Amor reformet me!

Fecit, ut magnus sim,

Ut pulcher sim,

Ut dives sim:

Faciat, ut bonus sim!

Formavit me:

Reformet me!

PUNCTUM II:

ET OMNIA!

SCENA I.

Franciscus. Orlandus.

Franciscus. **S**uspice Domine, benè facis, suspice, quàm nos Do-
minus amet! poterátne optari serenior nox, &
Cccccc nostræ

nostræ contemplationi idonea magis? * *Orland.* Rapit oculos pavementum aurô tam fulgido dives: mens, quæ sit interior palatii opulentia, ex ista specie arbitratur. Vah! ut sordet terra, dum coelum aspicio! *Franc.* Nunquam huc usque aspexeras? *Orland.* Non rarò utique, sed nunquam sic. Ultra delectationem, quam visui splendor umbris temperatus facit, percepi nihil; scilicet quia non alius, quàm pecoris, aspectus erat: hodie sensus voluptatis in animum penetrat, & varios affectus ciet pios, devotos, dulces. *Franc.* Nempe Astronomiâ, vel Astrologiâ hodie armavit oculos tibi, & stellarum magnitudinem, distantiam, figuram, virtutes, motum acutiùs prospicis? *Orland.* Nihil me ista vanitas afficit. Quid mihi cum Urâ, vel Lyra negotii? quid cum Cassiopea? quid cum capite, vel cauda Draconis? quid in Leonis, aut capri domo? exucca vocabula congerunt blaterones, quæ gustum titillant nihil. Tu si *voces mysticas* inculcas mihi, quanquam sit cortex durior, tamen cum fregi nucem, nunquam est vanus labor: nucleus se offert mihi vel mannâ suavior. Recordor, quæ audivi, iterumque audio clamorem validum à tot linguis, quot stellæ micant: clamant omnes: **QUIS UT DEUS IN SE!** quis ei potentiâ, quis sapientiâ, quis magnificentiâ par? clamant: **QUIS UT DEUS ERGA TE?** tibi enim (non sibi) tibi hanc struxit Regiam, si amas: ama! *Franc.* Proficis, Orlande, proficis, & nactus es ingenium *scholæ Amoris* aptum. Amemus ampliùs! stimulosque addamus stimulis, donec socordia expugnetur, & totum cor *seuni Amori* dedat. *Orland.* Adsum! quod agis, age, Magister bone! ars summa artium est **ARS AMORIS**: unam si didicero benè, satis est. *Franc.* Igitur adverte animum mihi, & ad quæsitâ responde clarè. Quæro: quid est amare? *Orland.* Amare (si *de amore rationali* loquimur, non *de sensuali*) est alteri *benè velle*, atque ita *mutua benevolentia* amicitia dicitur: hoc intelligo. *Franc.* Et quid est alteri

* Exhibetur cœlum stellatum.

benè velle? *Orland.* Nimirum velle serìò, ut *absit malum*, quod ille odit, & *adsit bonum*, quod ille cupit: sic interpretor. *Franc.* Rectè. Sed quis est major, aut minor amor? *Orland.* Sine dubio magnitudo amoris pretium majus aut minus habet tum à *quantitate* & *qualitate boni*, quod alteri cupio, tum à *mensura fervoris*, quo curo: non benè judico? *Franc.* Omninò benè. Jam scimus, quid sit amare: quæro, num sit in te facultas amandi? *Orland.* Experior sanè: nam multis *benè volo*, & *ferventer volo*. *Franc.* Et *rationabiliter vis*? *Orland.* Existimo sanè. *Franc.* Ex quibus rationibus? *Orland.* Duæ movent: Alios amo, *quia sunt*, quales opto: alios, quia cupio, *ut sint*, quales velim. *Franc.* Ita se habent res in amore humano, qui *purè rationalis* est, nihilque sensuali commixtus: nunc *ad Divinum* assurge. Dic: non est DEUS, qualem optare prudenter potes? *Orland.* Est, utique est! quid enim in DEO deest, quod sana ratio æstimabile judicet? Et quid requirat servus in Domino, quod non in DEO reperiam? brevis, sed evidens discursus est vel voces intelligenti: quidquid amabile est, à DEO est, ergò DEUS *super omnia* amabilis est. *Franc.* Ergò tu ama DEUM, *quia est IN SE*, qualem optas: ita amas *Amore benevolentiae*! Ama DEUM, quia cupis, *ut sit ERGA TE*, qualem vis: ita amas *Amore concupiscentiae*! uterque Amor præceptus est, & alterum alter fovet, veluti si vivos carbones congeris. *Orland.* Intellego: carbones *incentiva amoris* appellas, quorum infinitam congeriem *duæ particulae* comprehendunt QUIA, & UT: ama; *quia* talis est: ama, *ut* talis sit, qualem sapienter cupis. Optima synopsis est de doctrina Amoris. *Franc.* Granum sinapis voca: sed conteri debet, ut exerat vim, quâ in animam admirabili pollet. Audi: quidquid amas in quoquam, & quidquid amare potes, aut *principium*, aut *medium*, aut *finis* tuorum *votorum* est: si amas Regem, quia promovit te, *principium* amas: si amas patronum, quia adjuvit te, *medium* amas: si amas uxorem, quia delectat te, *finem* amas. Sed qui divisi in

hominibus sunt *amoris tituli*, in DEO se omnes uniant: DEUS Creator tuæ felicitatis principium est, DEUS Redemptor medium, DEUS regnans finis, objectum, quies, consummatio, omnia! O DEUS MEUS, ET OMNIA! in quot nihil divagamur, cum extra te *aliquid* quærimus, nisi à te, & propter te! *Orland.* DEUS principium, DEUS medium, DEUS finis votorum est, DEUS OMNIA! Pater mi! novum se lumen infert animo, lumen ingens, lumen nondum equidem Soli par, & omnes tenebras pel- lens, attamen jucundum lumen, ac veluti ex mille stellis com- positum! *Franc.* Utemur ad profectum: verum in partem fru- ctus Moronus etiam, atque Landinus veniant. Ecce prodit.

SCENA II.

Franciscus. Orlandus. Landinus.

Landinus. Vixisti Pater! en! ignorantia, & contumacia stratzæ tibi ad pedes jacent. Here, meam tibi salutem debeo, qui in hanc scholam duxisti me! sit mihi coelum testis, plus unâ horâ in hac eremo de DEO didici, quàm triginta, quos vixi, annis. Vixi autem? fui, non vixi! nam quæ temeritas est, *vitam inutilem* vocare vitam? aut si cui utilis fuit Landini vita, Landino certè non fuit. Ah! nunquam didici amare DEUM: igitur nec DEO, nec mihi vixi! quid prodest vixisse aliis? optima pars vitæ in nugis periit: jacturam immanem feci! *Orland.* Landine, quis te urget spiritus in hæc lamenta? *Franc.* Spiritus Amoris urget. Maeste animo, fili, reparare jacturam didicit, qui amare didicit. *Land.* O si reciperes in disciplinam, Pater! docilem spondeo discipulum tibi, & saltem latronis æmulum. O Coelites, quale prodigium vidi! jacet Moronus adstrictus cruci, & amat vincula, qui tot alios vinxerat: jacet immersus lacry- mis, quibus commissa scelera eluat. *Orland.* Antiquæ ferociæ nihil notas? *Land.* Vix coeperat homini explicare Ægidius præ-
sente

sente me puncta contemplationis à te proposita, vidi virum exardescere vultu, inflammari oculis, palpitare corde, rumpi singultibus, in suspiria cum uberrimo fletu solvi. Heu! ingemiscebat: qualis fuit DEus erga me, qualis est, qualis erit? Ille nullius indigus, ab æterno felix, vastissimum nihil benevolè circumspexit, & in profundissima abyssso sepultum intuens amavit me: in hanc lucem protraxit: dedit vitam, ut haberet, à quo amaretur: & ego amoris furorem reddidi, contemptum, scelera! Ille, quem pro primo flagitio flammis poterat æternis adjudicare, huc usque per admirabilem patientiam tolerat, & expectat, dum tandem amare velim: & ego patientiã abutor in contumaciam! Ille, si vel nunc incipiam amari aptare cor, promittit, me sibi charum æternum fore: & ego durus delibero, num adeò amans DEus redamandus sit mihi! *Franc.* Et tibi isti affectus placent? *Orland.* In latrone sunt admirandi. *Land.* Mihi vis stuporis discerpit pectus, & pudor in fugam egit. *Franc.* Cessa, obsecro, nam aures crucias! tam blandi actus non loquantur poenitentem heroicum. Quid fit, Ægidi?

SCENA III.

Personæ omnes.

Ægidius. **L**Eo, Pater, in agnum mutavit se! *Franc.* Malum audio: nec enim ut ponat ferociam Moronus, volo, sed ut vertat in se: poenitentiam iracundam sibi solidus Amor postulat. Solve vincula homini, & in antiquam dimitte silvam: qui in affectibus amor sistitur, non amat diu! solve! abeat! *Moronus.* Imò arctius stringar. Francisce per illum, quem amas tu, quique me amat, DEum, obsecro, adnumera me tuis bonus, & vestem Amoris dona! *Franc.* Audistis superbiam loqui? inter Seraphinos jam sibi locum, & nomen arrogat, qui ante horam princeps latronum fuit. Effrons! tantine tibi affectus sterilis, &

Ccccc 3

aliquot

aliquot lacrymulæ videri possunt, ut satisfacisse te pro tot criminibus tantillo dolore credas? *in ordinem poenitentium* si postu-
lâsses recipi, forsitan admissem: inde gradus est ad sublimius
vitæ genus, cum alæ creverint. *Mor.* Da veniam, Pater, homi-
ni in rebus Divinis rudi! in potestate sum: ex arbitrio impera!
Franc. Displicet mihi, ita placidum videre te: in iram te poeni-
tens Amor urgeat, si solidus Amor est: secus suspicor, quod te
magis, quàm DEum ames: nam cur alias parceres tibi? *Mor.*
Heu me! novum hoc crimen est, dedisse locum suspicioni tam
horrendæ! abite exuvia belluinæ! *Franc.* Iterum erras miser!
serva tibi ferinam vestem, ne obliviscaris citò nimis, quod fueris
fera. *Mor.* Ecce obsequor! quid adhuc imperas? *Franc.* Pro fe-
ra te posthac tracta, & malè habe. *Mor.* Optima sententia est:
sic explicas, quid sit *lenta mors*, cujus me reum pronuntiasti. Eja,
irascere, Morone tibi, & in te vindica offensas DEI, quem, quod
ames, iactas. *Franc.* Si seria ira est, in tres regulas jura: prima
est: FUGE, quidquid jucundum carni est! *Mor.* Fruantur, per
me licet, innocentes innocentibus deliciis: ego peccator sum!
Franc. Altera: FAC, quidquid DEO acceptum credis, utcun-
que tibi molestum sit! *Mor.* Qui odit molestias, poenitentiam
odit: ego peccator sum! *Franc.* Postrema: FER alacriter,
quidquid malorum aut DEUS inimiserit, aut mundus, orcusve
inferet. *Mor.* Patientia poenitiæ soror est: peccator sum!
Ergò noxia libertas vale! quidquid blandiri sensibus potest, vale!
ad molestias, ad ærumnas, ad crucem me Amor damnat: pec-
cator sum! fugere, facere, ferre, quidquid Amor imperat, ligna
sunt, ex quibus hæc crux componitur: Salve dilecta crux! *Franc.*
Isti affectus, Morone, placent: jam *hodie mecum eris in paradiso!*
poenitentia *nomen* austerum habet: *res* jucunda est, modò ab
Amore formetur. Eja! mecum omnes in Paradisum! hora mo-
net, prælucent stellæ, dulcissimum contemplantibus thema,
fortissimum Amoris incitamentum est, DEUS MEUS, ET OM-
NIA!

NIA! DEum videbimus. Separemur! suam cuique stationem designabit Ægidius: suum cuique lumen suppeditet DEus. DEUS IN SE, intuerè Ægidi: DEUS ERGA TE, considera Morone! DEus principium tuum, attende Landine! DEus medium tuum, pondera Orlande! DEUS FINIS MEUS, ET OMNIA, hæc Francisci contemplatio erit. Subduco me vobis, ut alius redeam. Ægid. Et nos diuidimur, ut per Amorem arctius jungamur. Franc. Imò priusquam abeo, clamore concordi Amorem de cœlo vocemus. Dicamus omnes: Domine, tu scis, quia amo te: da, ut ampliùs amem! Omnes. Amo! da, ut ampliùs amem! Franc. Jam quisque recolat animo thema suum cum viva fide! Ægid. DEUS! Mor. DEus meus! Land. Meum principium! Orland. Meum medium! Franc. Meus finis, & omnia! Silentium! ... sequitur occupatio in admiratione, & amore. Ægid. DEUS, in quatuor litteris quantus describitur! Mor. DEUS MEUS! meum dum voco, Dominum agnosco! Land. MEUM PRINCIPIUM! recordor, à quo sim, quod sum! Orland. MEUM MEDIUM! intelligo, per quem vigeat spes salutis meæ! Franc. MEUS FINIS! nomino centrum, in quo est quies cordis mei! Silentium! ... nunc locus, & libertas affectui sit. Ægid. O DEus, ens entium! Mor. O Domine! Land. O Factor meus! Orland. O Redemptor! Franc. O DEus! ô Domine! ô Factor! ô Redemptor! ô Centrum meum! ô mihi OMNIA DEus meus! utinam tot cordibûs amare te possim, quot Stella te mihi prædicant! ô linguæ cœli, clamate altiùs, ut audiant magnalia DEI, surdastrî homines audiant, & intelligant, quòd non sit ei similis DEus! Ægid. Intelligant, & mirentur! Mor. Mirentur, & adorent! Land. Adorent, & obediant! Orland. Obediant, & laudent! Franc. Laudent, & ament! ament ex toto corde! quia solus amabilis est! Ægid. Ament ex tota mente, quia solus DEus est! Mor. Solus Dominus! Land. Solus Altissimus! Orland. Solus Sanctus! Franc. Solus potens, solus

lus sapiens, solus bonus, solus dives, solus pulcher, solus iustus, solus misericors, solus fidelis, solus liberalis, solus magnificus, solus immutabilis, solus immensus, solus immortalis, solus omnia! omnia! omnia! O desere, quod aggravat, corpus anima mea! altiùs evola! .. Equidem pennæ defunt: sed vos ô montes, alter alteri superimponite vos, ascendam! neque desinam currere, donec vel ad cœlum pertigero, vel cœlum ad me descenderit, ut ei, quem amo, jungar! *Ægid.* Et me quò rapis Amor? absorptus in se Spiritus melleo mari mergitur! *Mor.* Sic benè! liquefcit Amor in dolorem! ô dulcis dolor! ô lacrymæ suaves! ô vita acta pessimè in servitio non Divino! *Land.* Redeundum ad principium est: Principium meum DEUS! rape me tibi! *Orland.* O quæ video exempla Amoris tui erga me, DEUS mi! medium meum, via mea DEUS, tene me, ne exerrem à te! *Franc.* Jo! teneo dilectum meum! teneo, nec dimittam, donec benedixerit mihi! *Ægid.* O Superi, quale spectaculum! *Franc.* O DEUS! *Orland.* O cœlum! *Mor.* O visio! *Franc.* O DEUS meus! *Land.* O felix Anima! *Franc.* O DEUS, & omnia! *Ægid.* O Pater mi, Pater mi! Amor te in Seraphinum mutavit. *Orland.* Miranda vis! *Land.* Vis amabilis! *Mor.* Optanda vis!

* Sacra Stigmata imprimuntur.



MEDI-

MEDITATIO II.

Diliges ex toto corde tuo, *Marc. 12.*

S. FRANCISCUS DE PAULA.

ARGUMENTUM.

Post expensas Amoris *causas*, sive incitamenta, comprehensa in illis verbis: *Diliges Dominum DEUM tuum*, oportet nos ejus *Naturam* inspicere, & considerare, quid jubeat DEUS, cum dicit: DILIGES EX TOTO CORDE! certum est, *actum Amoris* imperari, & quidem non *virtualem* solum, aut *implicitum* (verba Scholarum pono) sed *formalem* omnino, & *explicitum*, quod ex propositione prima ab Alexandro VII. damnata patet. Quam *sepè* autem, & quam *intense* ejusmodi actus elici debeat, non declaratur, scilicet quia qui dixit, velle se, ut ames *ex toto corde*, utique clarè satis petiit, ut affectu quam potes, *intensissimo*, & *frequentissimo* ames. Ita sanè Sancti intellexerunt, inter quos S. Franciscus Paulanus, cum à Spiritu Amoris in prima juventute in solitudinem (ubi sui Ordinis fundamenta posuit) abreptus fuit, ita non rarè ab affectu effervuit, ut velut aqua frigida ab immisso digito æstuans ebullierit, quod ejus vita testatur. Erit ergò Meditationis hujus

Materia: AMOR AFFECTIVUS in S. Francisco de Paula exardens.

Puncta duo: 1. Affectuum frequentia.
2. Affectuum intensio.

D d d d d

Fru-

Fructus: Studium *Actus Charitatis* erga DEUM multiplicandi.

Propositum: In tentatione acediae, & tempore tædii in precibus, in laboribus, aut inter aduersa nos infestantis, curabimus per *Affectum Amoris*, cui nihil molestum est, excitare nos ad lætitiã spiritualem, semper cantando *Canticum novum*, unde animus excitetur ad pugnam, & vincat.

P E R S O N Æ.

S. Franciscus de Paula in eremo primam iuventutem *Amori Divino* consecrans, sui que *Ordinis fundamenta* constituens.

Balthasar de Spino J. U. Doctor, Sacerdos ex primis Sociis Sancti.
Cosentius Vir nobilis, Francisci Benefactor.

P R O L O G U S.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præsentem.

Fides. Ratio.

Ratio. Fides, ô Fides! qualis contemplatio!

Exhibetur univ^{er}sitas rerum.

Quocunque aspicio,

Undique insonat unanimis clamor,

Quô imperatur Amor:

DILIGES DEUM! clamant fidera:

DILIGES DOMINUM! ingeminant tartara:

DILIGES DOMINUM DEUM TUUM!

DEUM propter se, DOMINUM propter sua,

TUUM propter te!

Vociferantur terræ, & maria....

Quan-

Quanquam quid est opus vagari?
In sola Cruce Amoris incitamenta
Invenio omnia.

A R I A.

Meum tu *Principium* :

Meum tu es *Medium* :

Tu *Finis* es meus

Mi DEUS!

Tu omnia es!

A te omnes meæ res,

Per te omnes meæ spes,

Sunt, quod sunt,

Et in te erit

Tandem mea requies:

Tu omnia es!

Fides. Benè habet: ligna collegit, & disposuit intellectus,

Unde exardeat, atque alatur *Amoris affectus*,

Intelligis, quàm sit DEUS *amabilis* :

Amare incipe,

Et Dominum DEum tuum

TOTO CORDE dilige.

Ratio. Ecce ego! sed tu doce me,

Quid sit DEum *toto corde* diligere.

Fides. Est *totum cor* occupare

In intensis, ac frequentibus *Amoris actibus*.

Exemplum inspice. * SIC DEUS DILEXIT TE,

SIC TU DEUM DILIGE!

* Cor cruci affixum exhibetur
flagrans, & bulliens.

A R I A.

Apertum cor est: inspice!

Tu *totum* occupas :

Ddddd 2

Flagrat,

Flagrat, liquefcens propter te
 In dulces lacrymas.
 Te quærit ifta inquires,
 Te tot fufpiria,
 Te curæ femper vigiles,
 Te defideria,

Si gaudet, gaudet propter te,
 Pro te affligitur,
 Si timet, timet propter te,
 Pro te irafcitur:
 Tu caufa es tot motuum,
 Hæ turbæ funt à te,
 Et Amor, tot affectuum
 Est primum mobile.

Ratio. Enimverò incendi pectus fentio
 Ab hoc incendio:
 Ardeo amantem me amandi defideriò!
 O quis det, ut amem te, Domine,
 SICUT tu amâfti me!

Fides. Amoris artificium fit per *Exercitium*:
 Exemplum habes: fequere,
 Et fi vis proficere, exerce te!

Ratio. Ubi? *Fides.* Intra te eremum tibi conftue.

Ratio. Quando? *Fides.* Moram odit Amor: hodie incipe.

Ratio. Quoties? *Fides.* Quò fapiùs, hoc meliùs.

Ratio. Quomodò? *Fides.* Quò intenfius, eò perfectiùs.

Ratio. Et in quo actuum genere exercebo me?

Fides. Gaudia, & defideria amantis funt negotia,
 De bonis, quæ DEUS poffidet *intra fe*,
 Plaude, & gratulare:

Bona,

Bona, quibus caret *extra se*,
 Desidera procurare:
 Hoc est affectivè toto corde amare.

Ratio. Gaudia, & desideria amantis sunt negotia? ...

Doctrina optima! ..
 Eja gaudia! eja desideria occupate me omnia! ..
 Rumpe costas pectus,
 Ut spatium amori pateat quàm laxissimum!

Fides. Jo. ! ardet pia anima!

Ut ardeat ampliùs, relinquo affectibus:

In sancto otio vivat solitaria.....

O negotiosi homines!

Quàm jucunda vobis accideret Amoris occupatio,
 Si sciretis, quid sit contemplatio?

A R I A.

I.

Ite mecum! iter meum
 In cacumen Thaborem
 Hodie attollet se:
 Ite mecum! sursum, sursum,
 Duce fide, juvat cursum
 Procul hinc intendere.

2.

Procul hinc à vanis curis! ...
 Talpis date opes ruris,
 Et jejuna prandia:
 In montanis (mecum ite!)
 Erunt melioris vitæ
 Meliora pascua.

Dddd 3

MEDI-

MEDITATIONIS II.

De S. Francisco Paulano

PUNCTUM I.

ACTUUM AMORIS FREQUENTIA.

SCENA I.

Franciscus solus.

Sic faciam: fugiam, fugiam à Paula, à Patria procul, ubi me nullus homo inveniat! O homines, quantum à vobis impedimentum est commercii cum DEO meo! ... Annum agebam ætatis tertium supra decimum, cùm imitaturus Sancti Præcursoris exemplum in eremum me contuli, ut soli tibi, DEUS meus, Amor meus, ut *soli tibi* vacarem! vix bienniô quies fuit: invenerunt me homines, & expulerunt. Inde in hac solitudine constiti: larui triennium ferè: ferè triennium hæc silva Paradisus fuit. Sub anni quarti exordium cessant delicia: iterum turba hominum turbat; innotui: diu, noctûque nulla est quies: iterum in fuga salus. Et favet consilio aurea nox! filete sidera, nemini Franciscum prodite! .. Quò fugiam autem? O chara silva! quàm difficulter à te avellor! recordor gaudiorum, quibus in te fruebar! annosæ arbores, vos estis testes, quoties cantaverim hilaris magnalia magni DEI! & concinnebant mecum aviculæ, avésque, quotquot sub his foliis cubant! vos scitis capreæ, hirculique, & cervi, quoties vobiscum per circumscitos colles exultaverit spiritus meus in DEO salutari meo! vos etiam ô stellæ, quoties vidistis Franciscum (*sive cum corpore, sive extra corpus, nescio, 2. Cor. 12.*) evolantem ad vos: ibi quæ *admiratio* fuit audientis *arcana verba, quæ non licet homini loqui!* quis Amor fuit in-

tuentis

tuentis Dominum *sedentem super Cherubim*, Pl. 98. *Et caligo sub pedibus ejus!* Pl. 17. Quis stupor? quæ voluptas? quæ gratulatio considerantis potentiam, sapientiam, divitias veri Salomonis, & ordinem ministrantium, & aulæ magnificentiam! Ah! quoties *non erat ultra in me spiritus* præ magnitudine gaudii de gaudiis illius, quem amo! O homines! homines! quoties importuno strepitu abruptistis lætitiā!... Et hem! iterum ostendit se homo: tegite me bonæ latebræ!

SCENA II.

Cosentius. Balthasar.

Cosentius. **H**Eus tu! quisquis es!... nam cur fugis imprudens? audi!... abiit homo. Pace mea, pernoctet sub dio: mihi sufficit, quòd casam inveniam; saltem quiescere à diuturnis erroribus licet: lux matutina infelici Theseo Ariadne erit in hoc labyrintho. *Balth.* Tandem felix sum: eremicola m certè hæc cella loquitur. *Cos.* Quis huc se movet? *Balth.* Juve te me Superi! *Cosentium* video. Domine! *Cos.* Amice! nam nisi fallor, Balthasar de Spino es tu. *Balth.* Ad obsequia. Sed Paulanum quærebam. *Cos.* Nisi ex fama, non novi hominem. Illius hæc habitatio est? *Balth.* Existimo: nec enim alius hoc nemus incolit, quem ego sciam. *Cos.* Vidi juvenem viatoris habitu, qui ut conspexit me, exterritus in silvæ interiora se abdidit. *Balth.* Viatoris habitu? coelum nolit, ut effugiat mihi! *Cos.* Ipsum credis? *Balth.* Quem alterum putem? *Cos.* Gravissimum fit negotium oportet, quod conficere hoc noctis tempore velis. *Balth.* Errantem à via tenebræ oppresserunt. Caterùm ut in *Cosentium* inciderem, quis casus tulit? *Cos.* Similis error fuit, qui persequentem hinnulum in avia huc adduxit à meis longè. *Balth.* Sapientiùs vocabimus DEI consilium: certè rem bonam præfagit animus mihi.

SCENA

S C E N A III.

Franciscus. Cosentius. Balthasar.

Franciscus. Ita, ita: DEI consilium fuit, Domini, ut hic conveniretis, & tu quidem, qui Sacerdos es, ac Jurum Doct̃or Balthasar de Spino, ut auctoritate, atque prudentia; tu verò, Cosenti, qui opibùs polles, ut pia liberalitate juvetis negotium, quod DEUS volet. *Balth.* Quis es tu? *Cos.* Et unde tibi notitia est nostri nominis, conditionis, facultatum? *Franc.* Equidem non decebat, Balthasar, Sacerdotem ita laicè vestitum incedere: vanitatum amorem hic habitus loquitur, & mundum olet. Sed quoniam Episcopus jussit personam tegere, ut facilius explorares mores Paulani, excuso factum. *Balth.* Superi! vos prodidistis me? *Franc.* Tui verò verè me miseret, Domine, qui postquam summo manè ingressus es silvam cum strepitu famulantium canum, ac hominum, denique sub noctem desertus à tuis, vacuus prædâ, fatigatus, & famelicus subsidium à misello eremicola postulas. O DEUS! hæc vita sæculi est laboriosa venatio, quæ demum in bombum, & fumum desinit. *Cos.* Non malè spes nostras describis. Sed nunc tecum agimus: nunquid Paulanus es? *Franc.* Certè Paulæ sum natus. *Balth.* Et Franciscus vocaris? *Franc.* Vocor Franciscus, sed non sum Franciscus! Franciscus inter Seraphinos altissimam sedem habet: O sedes omnibus desideriis desideranda, quia sedes Amoris est! *Cos.* Verùm age, cur fugiebas inclamantem me tibi? *Franciscus.* Homines odi, homines fugio, proptereà videris accinctum itineri, ut longiùs ab hominibus abeam. *Balth.* Homines odisti, homines fugis! an non ipse es homo? *Franciscus.* Etiam meipsum odi: utinam possem fugere! *Cosentius.* Cur igitur ultrò rediisti ad nos? *Franciscus.* Fugavit odium, charitas revocat, & DEUS. *Cosentius.* Pugnantia videris loqui: nam quomodò odisse, & amare eosdem

dem potes? *Franc.* Odi, cùm auferunt mihi DEum, amo, cùm referunt. *Balth.* Ecquod igitur est vitæ genus, quod profiteris? *Franc.* Solitudo delicias facit: beata solitudo, imò vera beatitudo! *Cof.* Homo animal sociabile est: naturæ opponitur solitudinis amor. *Balth.* Minimè solus sum, cùm maximè solus sum, tunc enim cum DEO sum. DEUS & EGO, nos duo sufficimus, ille mihi, quia amo, ego illi, quia amor. Ah! DEUS & EGO, quàm jucunda societas sumus! *Cof.* Enimverò jucunda societas foret, si sicut te DEus videt, ita tu DEum videres. *Franc.* Atqui sicut ille me non utique oculis corporis videt, sed intellectu, ita ego ipsum video oculis mentis armatis per fidem. Quanquam neque hi oculi nihil vident: equidem stat Dilectus meus post parietem, non rarò tamen respicit per fenestras, & prospicit per cancellos, Cant. 2. *Balth.* Non tibi negabo, quod dicis; sed unde honestè, atque sine tædio totos dies te occupes, non percipio. *Franc.* Nisi me homines turbent, ecce! hic ordo diei est: dormio, lego, canto, edo, bibo, ambulo, garrio, & iterum dormio. *Cof.* Profectò compendium vitæ jucundum exhibes. *Balth.* Compendium vitæ otiosæ, & sibi, mundòque inutilis! non persuades, ut credam. Sed quia jam divinasti, cur adsum, in virtute obedientiæ, quam Episcopo debes, cujus personam ago, præcipio tibi, ut vitæ methodum ex ordine mihi referas: testis verborum ut sit Cosentius, rogo. *Cof.* Attentè audio; nam mihi sincera simplicitas placet. *Franc.* Et mihi obedientia præ mille victimis. Quid vis, ut narrem? *Balth.* Quot horas dormis? *Franc.* Tres concedo somno corporis, somno animæ quaternas, senas, quandoque denas etiam, ut variè sopor Divinus tenet. *Balth.* Somno animæ! quid est somnus animæ? aut quis dormire Spiritum unquam dixit? *Franc.* Tu es Doctor Jurium, & ignoras, quid sit juris DEo in jura Spiritûs? Somnus corporis actiones sensuum, & functiones animales, somnus animæ intellectûs, & voluntatis operationes suspendit, etiam si

Eeeee

corpus

corpus vigilet. *Cof.* Rem novam audio. *Franc.* Audite plura: nam vel audire ingens voluptas erit. Cum somno somnia immittit DEus admiranda, plena mysteriis, & suavitatibus, quas, nisi qui est expertus, capit nemo, refertissima. *Balth.* Et scilicet exposita illusionibus, milleque fallaciis. *Franc.* Ex fructibus dignoscuntur. Si Divina sunt somnia, intimam sibi DEI presentiam intellectus non jam credit tantum, sed experitur (ô verbum dulce!) intellectus experitur, & voluntas matrimonium spirituale contrahit, quô conjungitur *Dilectus meus mihi, & ego illi*, Cant. 2. Ita, amici, ille mihi, & ego illi! ego illi! inde alacris evigilo; & sicut somnus vires carnis plùs quàm cibus, potùsque reficit, ita si à contemplatione surgo fortior, vegetior, promptior ad agendum, & patiendum, quæ DEI sunt, magis quàm à precibus ordinariis: jam cessat metus illusionis, triumpho, plaudo, psallo, atque adedò alteram diei partem cantui tribuo. *Cof.* Ego nunquam memini me sic dormisse. *Franc.* Homines, *Cofenti*, homines hunc somnum auferunt, solitudo affert. *Balth.* Rem narrasti, serio dignam examine. Et quæ deinde cantum occupatio excipit? *Franc.* Lego ambulans, & legens garrus, & feracissima latorum affectuum garrulitas est. *Balth.* Legis, qui nusquam librum habes, imò quem audio, ne quidem litteras didicisse? *Cof.* Garrus, ubi nemo est, qui respondet? paradoxis nos implicas. *Franc.* Liber, ô viri boni, *liber unus* totus mundus est mihi: in hoc libro non tam oculis, quàm *auribus* lego, & de his, quæ lego, *cum mutis* garrus. *Cof.* Liber est mundus: auribus lego, cum mutis garrus: Franciscus, sic loqui est ludere! *Balth.* Utrumque vides pendere ab ore tuo: quousque ambiguis verbis trahis? *Franc.* Plana sunt omnia. Eja! arrigite aures! .. non auditis, quid *stellæ* dicant? ah! quàm admirabili concentu enarrant gloriam Domini! .. quæ fixæ sunt, *pleno choro*, Planetæ autem singuli *voce sola* concertantes conclamant: *Quàm magna est domus DEI, & ingens locus possessionis ejus!* Baruch. 3.
Ingens

Ingens locus, locus elegans, aureus locus! .. & infernus num mutus est? imò applicate animum: audietis vocem tonitruum in rota per circulum repetentem, quòd sit Dominus *terribilis in consiliis super filios hominum*. Ps. 65. Quanquam quid opus est sive ascendere, sive descendere: quacunque ambulo, multiplex clamor insonat: ACCIPE, REDDE, CAVE! Clamat *Ignis*: ex voluntate Creatoris ego te foveo, cum friges, ego tibi coquo, cum fames, ego lucem fero, & diem de nocte facio, cum indiges: ACCIPE BENEFICIUM! sed & REDDE OBSEQUIUM! tene præcinctos lumbos, & *lucernas ardentis* in manibus tuis! secus si feceris, CAVE SUPPLICIUM! ignis qui fovit, qui coxit, qui luxit tibi, æternum uret! .. Quòd si ad fontem me fero, clamat *Aqua*: ego servio tibi ad munditiam, ad refrigerium, ad navigationem, ACCIPE BENEFICIUM! tuum est: omissis cisternis dissipatis solum fontem aquæ vivæ requirere: REDDE OBSEQUIUM! si rivulos seceteris, effunderis *ut aqua*, non cresces, in lutum desines: CAVE SUPPLICIUM! ... similia monet *Aër*: ego te refrigero, per me respiras, loqueris, moveris, vivis: ACCIPE BENEFICIUM! sed & utere ad finem, propter quem vivis, aspira ad DEum tuum: REDDE OBSEQUIUM! væ spiriis, quæ tendunt ad infima: spem cœli suffocant: CAVE SUPPLICIUM! .. *Terra* autem quocunque verto me, garrulitate multiplici jam reconditas divitias montium, jam ubertatem agrorum, jam hortorum delicias, jam nemorum amœnitatem prædicans ecce, inquit, omnia meâ tua sunt: ACCIPE BENEFICIUM! sed lauda potentiam, quæ fecit me, æstima sapientiam, quæ sic ordinavit, ama bonitatem, quæ sic ornavit, REDDE OBSEQUIUM! abutentibus meis in Factoris injuriam parata est *terra tenebrosa, & aperta mortis caligine, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*: CAVE SUPPLICIUM! ... *Cos.* Paulatim capio, quòd possis cum mutis loqui. *Balth.* Et sine libro legere, estque sine dubio utilissima lectio. *Franc.* Sed neque

que opus est extra me vagari: omnia, quæ *intra me* sunt, laudant nomen Domini, & *omnia ossa mea*, atque hæc admirabilis structura corporis, multoque magis obstupescenda colligatio Spiritûs immortalis cum carne corruptibili dicunt mihi: *Domine, quis similis tibi?* Pl. 34. Heu! quàm furdi sunt homines, qui hos clamores non audiunt! & quàm cæci insuper, qui te; mi DEUS, in tuis creaturis non vident! Mihi, ô Amor, in singulis obvias! mihi ex singulis clamas: **VOLO, UT INVICEM AMEMUS!** Domini, *liquefit* in gaudiis anima mea, quoties sic audio loquentem mihi! sic pascor in hoc deserto! sic deliciar! & quamquam corpus ex solis herbis, & aqua vivat, animus tamen *quotidie splendide epulatur.* Verùm hem! quò me suavitas rapuit! propè ut oblitus sim charitatis! subite tuguriolum hospites: parabo cænulam fessis: coctæ radices, modicum salis, & si fortè pisciculi quidam ex præterlabente rivulo se mihi captivos dabunt, opiparè vos reficient. Si tamen alteruter querelis stomachi ex macra mensa non satisfecerit, ipse sibi adjicere obsonium potest in apophygmate, quod familiare fuit Divo Patrono meo: *Si non habes satis, memento paupertatis!* *Balth.* Vade! facis, quod sancta Charitas suadet: plura sciendi occasio non ideo eripitur mihi.

SCENA IV.

Balthasar. Cosentius.

Cosentius. **M**E verò, Amice, ita refecit discursus hic, ut jam nec fames urgeat, nec fatigatio, aut somnus vexet: dum vivo, simile expertus sum nihil. Tu verò siles? fatere potius, Balthasar, fatere: nunquid cor nostrum ardebat in nobis, cum talia viris juvenis loquebatur? *Balth.* Enimverò major est sapientia hominis, quàm rumor, quem audiivi: DEUS cum ipso est. *Cos.* Sanctus est: neque (quales nos nobis fingimus, qui
virtu-

virtutem confundimus cum melancholia) absurdus Sanctus : didicit comitatem probitati adjungere: odit homines, & amat simul; hoc temperamentum paucis commune est. *Balth.* Illis solis, qui in homine DEum amant, quod est christianè amare, non ethnicè tantùm. Sed me primus Paulani occurfus attonuit. *Cof.* Rectè advertis. Neutrum de facie noverat: tamen vix visos suo quemque nomine compellavit, unde, & cur adesset, explicuit, nec obscurè coelitus se esse monitum significavit, ut ex fuga hominum rediret ad homines, quorum opera sibi esset futura utilis *ad certum finem.* Profectò mihi sic comparatus est animus, ut promptus sim ad quodvis obsequium: honorat me DEus meus, si utitur ex beneplacito Servi sui. *Balth.* Mirificum sermonis exordium fuit; sed me simplex obedientia, quâ Episcopi personam in me coluit, multò affecit tenerius. Vix umbram imperii conspexit, quàm alacriter arcana sua, ne quidem testem veritus, exposuit mihi? quàm sincerè rationem vitæ omnem enarravit? *Cof.* Et, ô coeli! qualis vitæ! si Angelus indueret carnem, num aliter viveret? *Balth.* Ego exemplò captus sum, & cupio imitari. Vah! nondum homo vigesimum annum ætatis attigit, nunquam vel primos litterarum apices didicit, nullos Doctores Sanctitatis audivit: & suspicio in summo vertice altissimæ contemplationis plaudentem sibi: quàm grandis mihi facienda est via, dum illuc evehar! .. nimirum, qui ubi vult, spirat, maturè Franciscum per compendia viarum duxit, dum ego lentè ambulo per ambages. Via brevissima ad perfectionem est VIA AMORIS: ô si hanc ivissem, quantos pridem reliquissem post me! nunc ferre debeo, quòd præcucurrerit panè puer, ac ne quidem abecedarius. *Cof.* Utilis comparatio. Est tamen, quod doceri velim, Amice: ecce tota ferè occupatio Francisci *in frequentandis affectibus Amoris* se versat: credine potest, tanti esse hos actus DEo, ut pretium præ actibus quibusvis alterius virtutis habeant? profectò administratio justitiæ, quâ publica

Eeeee 3

scelera

scelera, & suum cuius jus vindicamus; fortitudo, quâ pro patriâ bono, aut fide jurata Principi vitam & sanguinem fundimus; prudentia, quâ regendâ Reipublicâ strenuè invigilamus; temperantia, quâ intra decori limites coercemus tumultuantes affectus; misericordia, liberalitas, magnificentia, affabilitas, solertia, virtutes videntur, quæ multò & splendidiùs, & utiliùs formant virum, quàm istæ teneritudines faciant: age, erroneum hoc iudicium putas? *Balth.* Certè si à charitate hæc virtutum exercitia separes, erroneum est, quia iudicio DEI, qui solus errare non potest, contrarium: nam quæ tu enumerasti gloriosa facinora, *nōne & Ethnici faciunt*, quin tamen spes præmii ullius in coelo sit? nempe homo *in externa specie* figit oculos, *DEUS cor intuetur*: inde iudiciorum contrarietas venit. Virtutes, quas *morales* vocamus, *naturam* perficiunt: tribuunt, ut sis bonus homo, bonus civis, bonus Princeps: verùm ut sis *bonus Christianus*, Theologicæ virtutes exiguntur, *Fides, Spes, Charitas*, *tria hæc: major autem horum est Charitas*. I. Cor. 13. Eò quòd Fides serviat, *ut possim*, Spes, *ut velim* amare, Charitas autem non ordinetur ulterius, sed animam suo principio, & fini jungat. Sequitur, quòd Charitas *Regina virtutum* sit: & tu facile concludes, actus virtutis nobilioris meritò apud DEUM in pretio majore esse, quàm sint actus aliarum minùs nobilium, saltem nisi & ipsos Charitas imperet; imperat autem, imperat illustrissimos actus, neque in suis quiescit, sed quando se offert occasio, aut DEUS impellit, alacriter virtutes famulas ad opus excitat; atque ita denique hominis perfectio *in perfectione Amoris* consistit. Certa doctrina est ex Apostolo: *Si Charitatem non habuero, nihil sum*. I. Cor. 13. Utinam sicut *speculativè* pridem perspexi, etiam *practicè* tenuissem! *Cos.* Suboritur aliquid luminis: ut serviam DEO, ideò me fecit DEUS, ideò homo sum, ideò vivo. Actus vitæ meæ alii sunt liberi, alii naturales, & necessarii: *per necessarios* non aliter DEO servio, quàm elementa, bruta, & plan-

plantæ serviunt : quod vult DEUS , & ipsæ faciunt , sed non faciunt , quia vult . Mihi data est facultas liberi arbitrii , ex cuius usu possum non modò obedienter acquiescere ordinationibus , quas AUCTOR NATURÆ constituit , sed etiam accommodare me legibus , & beneplacitis , quæ DOMINUS SERVIS promulgat . *Balth.* Rectè discurras . Jam verò dic mihi , per quos *Actus* liberos DEO servimus ? *Cos.* Utique non per alios , nisi quos agimus PROPTER DEUM ? quis enim me dicet serviisse Regi Tartarorum , cuius causâ nunquam vel pedem , vel manum movi ? *Balth.* Itaque neque habes , quod speres , mercedis quidpiam ab illo Rege , quantoscunque labores per vitæ tempus susceperis , quæcunque pericula subieris , quascunque virtutes exercueris ; dicet enim Tartarus : præmiet te , cui laborasti ! propter me egisti nihil : itaque nihil debeo . Vides in hoc exemplo , quàm meritò DEUS nullam virtutem æstimet , nisi quam propter ipsum exerces ? agere autem propter DEUM quid est , nisi agere ex Charitate ? itaque anima virtutum est Charitas : & sine hac illæ cadaver sunt . *Cos.* Jam plenâ luce se veritas mihi exhibet , & ad mærorem . Unum adhuc se dubium movet : actus Amoris , in quibus vidimus exerceri Paulanum , ferè meri affectus sunt : tantine sint ? *Balth.* Nimirum DEUS , Cosenti , alios vult occupari circa se , alios propter se , plerosque mutatis vicibus , modò circa se , modò propter se : quodlibet vitæ genus suam laudem meretur , summam illa , in qua summus est amor : mensura amoris mensura est meriti . Verùm qui se diu , uti Paulanus , occupat circa DEUM , & scilicet in actibus Amoris elicitis , hunc suæ industriæ fructum habet , quòd deinde , cùm res postulat , facillimè exercent imperatos , & se occupet propter DEUM : didicit ex creaturis scalam conficere , per quam ascendit , & descendit , cùm lubet , quin unquam à DEO abeat . *Cos.* Tandem videor mihi intelligere aliquid de iis , quæ vidi . Vis dicere : Franciscus non cessavit servire DEO , etiam cùm servit nobis .

bis. *Balth.* Rem dicis. Et fallor? an lautam homini coenam imperavit amor, tam longas ut trahat moras? per te si liceat, explorabo, quid agat.

S C E N A V.

Cosentius Solus.

Quod lubet, age: me rerum omnium, & omnis vitæ fastidium tenet acerbum, grave. Cosenti, vixisti annos quinque omnino denos, semper vegetus, & viribus valens, & vitæ genus, cui occasiones rem gratam præstandi DEO nunquam deerant: euge! quot annis servisti DEO? imò quot menses numeras, aut dies saltem? horam subinde aliquam, Domine (memini) consecravi Religioni, verum & ipsam ah! quam frigide, quam nihil amans! *Multa tuli, sectique:* sed quæ fuit omnis sive patientiæ, sive laboris mei origo, quis finis? origo vitium, aut natura fuit, finis aut scelus, aut vanitas. Cupido placendi mortali Principi, commodandi meæ familiæ desiderium, libido satisfaciendi meis cupiditatibus, ambitio honoris, ac titulorum, spes lucri, amor licentiæ, denique nugæ nugarum fuerunt anima tot motuum, quibus me, & alios conturbavi. Hæc horâ si sisterer supremo Judici, quid responderem interroganti? age, quid totâ, quanta fuit, vita laborasti, aut quid passus es PROPTER ME? nempe obmutescerem miser, & coopertus confusione, si non mali, certè servi pigri sententiam trepidè expectarem; ita, quæ debebant esse *scala celi* creaturæ, *scala inferni* forent. Huc me malorum *mali amores* traxerunt, amores rerum pereuntium, vanarum, futilium. Stultitia gravis! quid enim amas in creaturis, cum amas, Cosenti? formam amas? DEus est pulchrior: opes amas? DEus est ditior: munificentiam amas? DEus est liberalior: virtutem etiam si amas, qui
Sanctus

Sanctus Amor est, DEUS infinitè est sanctior, DEUS super omnia! yah! amores, amores mei quò exerràstis!

S C E N A VI.

Balthasar. AD cœnam te voco, Domine, ad cœnam, quàm nullam unquam sapuisse tibi dulciùs, certum est mihi: nam Amor Divinus condivit. *Cof.* Quid sibi hæc præfatio velit? *Balth.* Brevis sum: audi attentè, mera prodigia loquar. *Cof.* Loquere. *Balth.* Cùm discessi à te, Franciscum reperi in mentis excessu: cubitum totum elevatus in aëra hærebat sine motu, ardente vultu, corde interdum extrudente altum suspirium. *Cof.* O felix conditio animæ amantis DEUM! *Balth.* Diu attonitus hæsi in aspectu, & vix non cum ipso in extasi: tandem ad se rediens lentè subsidit in terram. Vix viderat (hem novum prodigium) prò! exclamavit, propè parandæ cœnæ obli- vio subiit. Cucurrit, curro simul: stetimus ad rivulum in vi- cinia, vocat ille pisciculos: accelerant turmatim: nudis mani- bûs senos ipse comprehendit, & sinu conclusos ad focum de- fert: iterum prodigium! *Cof.* Narra citò! *Balth.* Non ignis, non pruna, non cinis, non lignum aderat: arripit ollam Fran- ciscus, pisculos injicit, affundit aquam, quam ut vix extremò digito tetigit, incipit illa continuò calefieri, stridere, ebullire: momentò pisciculi cocti sunt: ad hanc cœnam invitamur.

Cof. Omnibus Regum mensis pretiosior est: citò

imus. Balth. imus.



F ffff

CHO-

CHORUS.

Chryfopœia Divini Amoris.

Microcosmus, five Homo. *Mercurius* mendax Alchimista, five amor lucri. *Chryfopœus* verax, five Amor DEL.

Microcosf. * **J**O! dives sum, & locupletatus,
Et nullius egeo! Apoc. 3.....
Vive Mercuri! tuo artificio
Hanc omnem opulentiam debeo.

* In numerando
auro suo oc-
cupatus.

A R I A.

Quantus sum, tantus sum

A Chryfopœia:

Eja!

Phœbe, mirificum

Lauda Mercurium!

Ars princeps artium

Est Chryfopœia!

Ars verè aurea

Lucri

Chryfopœus ex Fumi } ambo: ditissima
angulo. Est Chryfopœia.

Chryfop. Vah! dicis: dives sum, & locupletatus,

Et nullius egeo!

Et nescis, quia tu es miser, & miserabilis,

Et pauper, & cœcus, & nudus!...

Hoc dicit Dominus:

Ecce sto ad ostium, & pulso:

Scio opera tua,

Quia

Quia neque frigidus es, neque calidus:
Ultinam frigidus esses, aut calidus!
Sed, quia TEPIDUS es,
Et nec frigidus, nec calidus,
Incipiam te evomere ex ore meo! Apoc. 3.

Microcos. Tu quis es,
Qui tantum mihi nuntias malum
A Domino?

Chrysop. Missus sum, ut liberem te
A mendace Mercurio.

A R I A.

1.

Infans,
Quem labor fatigat inanis!
Spe modici lucelli
Non potest vir prudens impelli,
Ut vano rabulæ
Sacrificet sua, & se.

2.

Quid aurum?
Quid coacervasse thesaurum
Juvabit moriturum,
Et illas in terras iturum,
In quibus *numinis*
Vilissimi nulla est vis?

Microcos. Quid dicas, non intelligis:
Meus, quem laboro, non est labor sterilis.

Chrysop. Quæro, cui sit utilis?...
Ajo, quod fructus tui laboris
Sit *aurum spurium*,
Cui nullum in coelo est pretium.

Fffff 2

Mi-

Microcosf. AURUM SPURIUM!

Adsit ipse Mercurius, & refutet convitium,

Mercur. Vah! video inimicum Amorem!

Chryfop. Persequor,

Ubicunque affectas Divinum honorem:

Fraudes detego, vilem facio.

Microcosf. Heu me! si pro auro spurio

Fodiendo, coquendo, cudendo

Miserè consumpsi me!

Mercur. Futilem metum unâ cum inepto homine

A te abige.

A R I A.

I.

Cur audis blateronem?

Sub specie Amoris

Ad odium laboris

Extimulans, hypocrita

Ingeminat suspiria,

Fingit religionem:

Cur audis, blateronem?

2.

Vetabit laborare:

Orando occupabit,

Orantem delectabit:

Hac arte te decipiet,

Ad incitas te rediget,

Et coget mendicare.

Chryfop. Ex more suo mentitur Mercurius.

Non odit AMOREM LABORIS

Amor Cælicus,

Imò imperat seriò,

Ne tempus malo malè perdas in otio:
 Sed hoc ago, hoc urgeo,
 Ne labores *sine opere pretio*:
 Volo, ut *ab igne*, quem nutris perpetuò,
 Prodeat *aurum solidum*,
 Non spurium.

Mercur. Iterum repetis infame convitium?

Chryfop. Provoco ad experientiam.

Eja! bone vir,
 Redde flammis hanc massam auream:
 Ego folles animabo:
 Nisi tota in fumum abeat,
 Reus sim de mendacio.

Microcosf. Optima propositio!

Mercur. Et tu, stolide,
 Tanti non metuis thesauri periculum?

Chryfop. Si *verus* est, non timet incendium.

Microcosf. Benè habet: fiat probatio!

Mercur. At ego, ingrater, ecce! te desero.

Microcosf. Superi, quid video? *

* Exhibitio.

Chryfop. Aurum vides in auras evanescere,
 Unà cum ipso impostore Mercurio.

A R I A.

1.

Ecce hoc habes, qui te, *non per me*,
 Demens in gravibus
 Vexas laboribus:
 Videris lucrari,
 Videris ditari:
 Subitò cares re omni, & spe!

Fffff 3

2. Sci-

Scilicet fallit te *noxia nox* :

Manus fictitiis

Implet divitiis :

Inanes videbis,

De fraude dolebis,

Somnum cum galli excusserit vox.

Microcos. Heu! repentè ex ditissimo
Pauperrimum me video!
Homo insipiens, cur credidisti Mercurio?

Chrysop. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum,
Ut locuples fias. Apoc. 3.

Microcos. Quomodò possum emere, qui nihil habeo?

Chrysop. Eme *Amoris pretiò.*

Ama DEum, & fac, quod vis.

Sic, quidquid facies, cum lucro facies,

AURUM facies.....

Amor, Amor veri est *semen auri*:

Amor est *lapis Philosophicus*,

Veræ Chrysopœiæ peritis probatissimus.

Microcos. Quid igitur jubes me agere? clariùs edoce!

Chrysop. Age, quod egisti, NON ALIUD,
SED ALITER,

Et nempe, quod hætenùs egisti EX MORE,

Age deinceps EX AMORE.

Hæc est doctrina *aurea*,

Hæc certissima CHRYSOPOEIA.

Microcos. Ah! cur serò adeò

De arte tam nobili audio?

Amice, quot dies, menses, annos perdidisti

In labore *inutili*!

Chrysop. Non est nullum malo remedium:

Tepo-

Temporem excute,
Et Amoris fervore amissum tempus redime.

A R I A.

1.

Microcos. Anni, menses, dies, horæ
Vano actæ in labore
Ah! redite,
Estis vitæ
Pars peractæ maxima!

Chryfop. Ama! Amor aurum dabit:
Quod quem diem inaurabit,
Unus valet sæcula:
Sic jacturam repara!

2.

Microcos. Totâ vitâ laboravi:
Et pro cœlo quid paravi?..

Chryfop. Talis vita,
Nunquid vita?..

Microcos. Quæstio gravissima!...

Chryfop. Sed jam ama, & amando
Hanc jacturam repara!

PUNCTUM II.

AFFECTUUM INTENSIO.

S C E N A I.

Franciscus. Balthasar. Cosentius.

Cosentius. ENimverò quasi micæ de mensa cœlesti cadentes ap-
posuisses, ita mihi hæc coena sapuit. *Francis.* Aga-
mus

mus DEO gratias! *Omnes.* DEO gratias! *Franc.* Bonus est, mihi credite, bonus est Dominus, & liberalis, & suavis diligentibus se, modò *toto corde* diligamus. *Balth.* Vis dicere, modò cor totum occupemus *in Amoris affectibus*, sine dissipatione in alios. *Franc.* Hoc volo, & *vita affectiva*, dico, quòd sit *mater lætitiæ spiritualis*, illius lætitiæ, quæ exuperat omnem sensum, quæ spiritum quidem dulcissimè afficit; sic tamen, ut non rarò se diffundat in corpus, quam experiri possumus, explicare non possumus. *Cosentius.* Fallor! an hodie aliquid ex hac lætitiâ delibavi? certè cui hætenùs ne de nomine quidem nota fuerunt spiritûs gaudia, modò solatia percipio, quibus vel æqualia, vel similia totâ vitâ non sensi. Credere incipio, quòd decipiamur turpiter, quicumque credimus, vitam proborum esse obnoxiam melancholiæ, virtutique se dedere, nihil esse aliud, quàm ad obligationem perpetuæ tristitiæ se ultrò damnare. *Balth.* Potuit hæc opinio ingenerari animis per hypocritas, aut per ineptos Ascetas quosdam, qui ut sanctitatis studium præferant, spectrorum malunt, quàm Angelorum faciem induere. Atqui Apostolo teste: *hilarem datorem diligit Deus*, 2. Cor. 9. unde colligo, quòd agat cum servis suis, sicut paterfamilias cum operariis, quibus non solum sub vesperum datur denarius, sed etiam sub meridiem prandium apparatus. *Franc.* Hic sensus bonus est, & ego plus dicam: dico, quòd Deus *punctum honoris sui* in hoc collocet, quòd habeat servos *alacriter* obedientés sibi, vultuque ac gestibus palàm præferentes lætitiâ animi gratulantis, quòd optimam partem elegerint, cum servire DEO potiùs, quàm mundo decreverunt. Qui sic ingreditur, ut credas mancipium videre te pistrino inter Saracenos addictum, herùmque barbarum, & scorpiones intentantem perpetuò expavescens: cujus pallore funereo squallet facies, horrent crines, caperatur frons, rigent oculi, stupet lingua, pectus palpitat, quique totus imaginem attoniti refert: quid putatis, an iste honori est DEO? hõc animò

mô, tali vultu vos famulum ferretis in servitio vestro? *Cofent.* Imò infamari domum, & Dominum credimus à servorum trititia. Attamen hoc scimus, quòd Sancti ultrò à sensuum deliciis sese abstrahant, & vitam agant in angustiis, in egestate, in solitudinibus, in vigiliis, in jejuniis multis, in plagis supra modum: hæc vitæ methodus quomodò non excludat lætitiã, hoc miramur. *Franc.* Excludit utique lætitiã vitiosã, stultã, vanã, puerilem, animale: sed lætitiã sana, solida, sancta, vera non potest cum amoribus aliis, nisi cum Amore DEI componi. Itaque, bone vir, non equidem tripudiamus, non ludimus, non cachinamur, non epulamur, non venamur, non gaudemus in sonitu cytharæ, non habemus *delicias vestras*, sed nec desideramus; sed spernimus insuper, sed habemus *delicias alias*, ALIAS habemus, & tripudia nostra sunt exultare in Domino, cachinni nostri ridere vos, epulæ nostræ contemplari Divina, venatio nostra in creaturis venari DEum, nostra musica DEum laudare, DEO plaudere, gratulari, jubilare. *Cof.* Sublimior est hæc Philosophia, quàm ut à quovis capiatur. *Balth.* Ego videor mihi intelligere lætitiæ modum, quàm sic extollis. Nimirum uti alia sunt gaudia parvulorum, alia juvenum, alia virorum, ita tu doces alia esse hominum sensualium, alia spiritualium. *Franc.* Utique alia, & talia nempe ut sicut vos, qui estis viri, ridetis gaudia puerorum, neque quisquam vestrùm vellet jam, quod olim fecit, ludere par impar, aut equitare in arundine longa: ita qui spiritus gaudia gustavit, ei desipiat omnis caro; experitur nempe, quàm sint ista illis nobiliora. *Gaudia sensuum* enim nunquam satiant, citò desinunt, & si durant longius, fastidiuntur; sic, ut ne Salomon quidem aliud in illis invenerit, præter vanitatem, & afflictionem: illique, qui postquàm diem combusserunt in stultitiis, hodie dicunt: *heri læti fuimus!* nihil aliud dicant, quàm quod dicere subinde æger solet: *hac nocte somnia jucunda habui!* aut quod dice-

Ggggg

ret

ret vitulus, si loqui posset, postquam in pinguibus pascuis horis aliquot lascivivit. Sed gaudia spiritus sic fatiant, ut tamen semper magis sitiantur, idemque qui dicit: *satis est!* simul clamet: *amplius, Domine, amplius!* sic veniunt, ut non abeant, nisi velis, atque cum voles, redeant: sic afficiunt, ut nunquam fastidium ferant. *Balth.* Hic verò vide, ne hallucineris, Francisce; nam ego scio, nihil in hac vita æternum esse, nihil non obnoxium mutationi; multi hoc Sancti questi sunt, & ipsum Sanctum Sanctorum audivimus ingemiscientem: *tristis est anima mea!* *Franc.* Domine, pro me respondet Apostolus, qui Sanctos describit nobis *quasi tristes, semper autem gaudentes.* 2. Cor. 6. Semper, (audis?) semper gaudentes; nimirum quia deficere quidem potest exundantia gaudii, sed non ipsum gaudium; cessare potest gaudium hominis inferioris, non item superioris; tolli potest gaudium *sensibile*, non verò gaudium *rationale*, nisi quando ultrò cessas amare DEum, atque adedò abrumpis unionem cum eo, cui adherere bonum est. Ita in ipso Christo tristitia cum lætitia eandem animam occupavit: sed nempe utilix, & tenebræ eundem involvunt globum terraqueum, attamen in hemisphærio non eodem. *Cosentius.* Verùm non est remedium, quod ejusmodi fastidium pellat? *Franciscus.* Non est præsentius, quàm oratio: ideò ipse Dominus tristitiæ tempore *prolixius oravit*, & omninò consolationem exoravit sibi ministratam ab Angelo. Nempe ne vos quidem cibi suavitatem sentitis, nisi cum applicatis palato; applicatio mea oratio, & contemplatio est: per hanc Amoris objectum, quod dulcissimum est, unitur animæ, & in unione dulcedo sentitur vel minor, vel major, prout illa vel strictior erit, vel laxior. Itaque quidquid applicationem impedit, quidquid distrahit contemplationem, suavitatem Amoris confundit. Habetis causam, cur homines fugiam: & jam tempus est, valetè! priusquàm diescat, hinc abeundum est mihi. *Cosentius.* Abeundum? & quorsum? *Franciscus.* Ubi me nullus

nullus homo inveniatur. *Balthasar.* Francisce, salvâ obedientiâ, quam Episcopo debes, non ibis hinc: iussus sum explorare, quæ sit vitæ methodus tibi: expectare, cum retulero, quid de te Præsul statuatur, juberis tu. *Franciscus.* Boni Superi! quod malum audio? nunc si quid hospitoli titulô mereor, utrumque obsecro, ut sitis Patroni mihi. Homines me hic reppererunt, homines quotidie turbant, liceat mihi homines fugere. *Balthasar.* Tibi soli non vivis, & si reperisti thesaurum in hac ratione vitæ, ut cum aliis quoque communices, CHARITAS imperat. Sunt, qui petierunt à Præsule facultatem adhærendi tibi, & in hoc loco profitendi contemplationis exercitamenta, Magistro te: recedere licebit paululum, & deliberare, quod velis responsum à te, ut Episcopo feram. *Cosentius.* Et quidni ex stapede sententiam, Paulane, dicas? ego enim, quanquam parùm frequentaverim Amoris scholam, tamen nihil credo errare me, si dico: *parùm te amat, DEUS, qui, cum potest, non curat, ut plures ament.* *Franciscus.* Prô! quale auguror malum mihi? cum fugerem à vobis antea, iussit reverti Dominus, & hospitibus ministrare, qui in negotio momenti magni futuri mihi auxilio essent. Jam sic juvatis à juva me: DEUS mi, ne à te abstrahar!

SCENA II.

Balthasar. Cosentius.

Balthasar. **A**git: sinamus solum cum DEO agere. Tibi, Domine, pro amicitia communico consilium cordis mei: primus ego discipulus Paulani ero. *Cosentius.* Doctor discipulus? *Balthasar.* In scientia Sanctorum ego puer sum, ille Magister est. Prospicio gaudia, quæ mihi in hac eremo sub hoc magisterio paravit DEUS: docebor amare, & TOTO CORDE amare! O doctrina omnibus doctrinis potior! *Cosentius.* Resolutio heroica est, quam ego non laudare modò, sed etiam imitari

Ggggg 2

tari

tari velim: nam si cogito, cur homo sim, video utique, quòd hæc via rectius ad coelum ducat, quàm ducit mea. Sed quid faciam? uxor & familia tenent: captivus sum. *Balthasar*. Non omnes ad summam perfectionem Amoris vocavit DEUS: etiam qui ex toto corde est Amor, magis & minus capit: quisque amet, quantum, atque quoties pro ratione status potest, & semper magis, magisque amet, ita præcepto satisfiet. *Cosentius*. Facilius hoc dicis, quàm facias, in conditione positus, in qua tot amores contrarii oppugnant pectus; non vivimus in eremo, *Balthasar*. Haud dubiè difficilius in loco ventis pervio servatur ignis. Sed quis prohibet, quò minus etiam tu tibi eremum struas perpetuam unam, alteram inhabitandam ad tempus, & per vices? *Cosentius*. Non te percipio satis: quid vis, ut faciam? *Balthasar*. AMA, ET FAC, QUOD VIS! *Cosentius*. Breve præceptum loqueris, sensum explica. *Balthasar*. Multiplex sensus est, quilibet ad usum bonus. Dico: AMA! hoc est, exerce frequentes, & intensos Amoris actus; ita extinguēs amores malos, & ignem consumēs igne. Dico: fac, quod vis! neque hac voce laxare licentiam volo, sed coërcere; Amor enim faciet, ut nihil velis, quod amato displiceat, ne veniale peccatum quidem, multoque fortius, quàm timor retrahit, quippe cuius objectum remotum est nimis. Dico: ama, & fac, quod vis: amans enim quidquid facit, hilariter, ac sedulo facit, bene facit. Dico: ama, & fac, quod vis, addo: & quando vis; ora, cum vis, sed ama, & bene orabis: labora, cum vis, sed ama, & sine tedio laborabis; animum recrea, cum vis, sed ama, & nunquam limites honestatis aut tempus, aut modus excedent. Ita cor semper in eremo versabitur, solique se DEO affiget. *Cosentius*. Verum dicis, si quis vite Amoris assueverit. Sed! *Balthasar*. Assuesces autem, si interdum diem unum, aut alterum te à tumultibus mundi subducens solitarius contemplationi vacaveris. *Cosentius*. Sic est, & bonum consulis: sic quantum licet, vos imitabor. Eja!

Eja! fac, ut institutum, Amice, Episcopus probet: ecce area, in qua stamus, mea est, vestra sit: accommodate usibus vestris, & meis. *Balthasar.* Liberalis es: Franciscus quid de hoc consilio judicet, audiemus.

S C E N A III.

Franciscus. Cosentius. Balthasar.

Franc. **A** Mici! *Cosentius.* Superi! quis subito splendor micat! *Balthasar.* Hem! CHARITAS! *Franciscus.* Vicistis! imò CHARITAS vicit! jam patior, quos fugi, homines! adeste omnes! utinam eodem, quo ego igne ardeo, accendere omnes possem. *Cosentius. Balthasar.* Primos accende nos! *Cosentius.* Ego mea! *Balthasar.* Ego meipsum addico tibi! *Franciscus.* Utrumque CHARITAS habeat, BEATA CHARITAS!



MEDITATIO III.

Diliges ex tota mente tua. *Marc. 12.*

S. FRANCISCUS SALESIIUS.

ARGUMENTUM.

AMOR AFFECTIVUS, qui cor occupat, si sincerus est, sterilis esse non potest; unde si quis dicat: TOTO CORDE se DEum diligere, an verum dicat, cognoscas ex fructibus, & scilicet ab examine, an etiam diligat ex tota mente, ex tota anima, ex tota virtute, puta per omnes

Ggggg 3

poten-

potentias suas; nam cordis nomine *voluntas* appellatur, & per mentem *intellectus*, per animam *appetitus*, per virtutem *sensus corpori*, *vires*, *vita ipsa* intelliguntur: suntque isti actus, atque gradus AMORIS AFFECTIVI ab amantis *voluntate* imperati. Hodie sistemus in gradu primo, qui est EX TOTA MENTE DEUM diligere, sive *nihil diligere SUPRA DEUM*, sed DEUM *super omnia* appetiari. Illustre, & heroicum hujus Amoris exemplum S. FRANCISCUS SALESIUS præbuit, cum adhuc Philosophicis studiis Lutetiæ Parisiorum vacaret. Multum eo tempore ex Calvinii hæresi de prædestinationis mysterio Gallia turbabatur; Salesius neque per ætatem, neque per litteras tunc par erat discutiendis argumentis, quibus sententia Catholica impugnabatur: itaque usus est occasione tentator, & in dispiciendis callidi hostis artibus nondum versato juveni planè persuasit, ut crederet, se *ex reprobis* esse, quibus nulla sit spes salutis. Tristissima opinio sic diu exagitavit misellum, ut iniquis animi etiam in corpus furens, pallorem vultui, membris maciem, viribus languorem pænè fatalem aspergeret. Sed vicit denique timorem Amor verè EX TOTA MENTE conceptus, & nihil appetiari SUPRA DEUM, ne quidem salutis propriæ, atque totius æternitatis negotium. Salesius enim, cum angores suos Deiparæ, cui devotissimus erat, quereretur, repente sensit animari cor ad magnanimam resolutionem, quam *Historia vitæ* his verbis expressit: *Quandoquidem eò infelicitatis deveni, ut in vita altera Domino DEO sim cariturus summè amabili: saltem quamdiu versabor in terris, emitar pro viribus, ut eum diligam ex toto corde meo, & ex intimis præcordiorum affectibus!* A tam generosa audacia victus hostis malignus continuo in fugam se dedit, discussaque repente caligine rediit menti malacia, & vigor corpori: Amori verò tantum robur accessit, quantum gravissimi labores deinceps post susceptum cum Patris consensu agrè impetrato Clericatum pro DEO exantlati, atque ærumnæ usque ad mortem

for-

fortiter toleratæ abundè probaverunt. Erit igitur hujus Meditationis

Materia: S. Franciscus Salesius de sua reprobatione anxius.

Puncta duo: 1. Tentationis atrocitas.
2. Tentationis victoria.

Fructus. Primus Amoris gradus: *nihil amemus SUPRA DEUM!*

Propositum. Statuamus DEum *etiam austerum* amare? ita fiet Amoris probatio, & inter nulla adversa deficiemus, neque cum vita ipsa periclitabitur.

PERSONÆ.

S. Franciscus Salesius Philosophiæ Parisiis studens.

Franciscus de Sales Sancti Pater.

Deagius, ejus Moderator.

Meranus Famulus.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præsentem.

Fides. Ratio.

Ratio. * **S**uperi! ubi fui? .. & ubi sum? ..
Heu! à quanto repentè excidi gaudio!
 Disparuerunt Thaborea spectacula,
 Amoris miracula!
 Ah! quàm jucunda occupatio
 Est contemplatio! ..
 Nemo, nemo, nisi expertus, potest capere,
 Quàm suave sit, DEum diligere,

* Ratio ab ex-
tasi redit ad
se.

ARIA.

1.

O DEus!
 O mihi omnia DEus! ...
 O si te homines nôssent!
 O si cor tuum inspicere possent!
 O si viderent, audirent, gustarent,
 O si olfacerent te,
 Si tangerent te!
 Quàm te ferventer, quàm purè amarent!...
 Nunc, vix intelligent me,
 Si loquar de te!

2.

Caliginis tuæ si lucem declaro,
 Si mysticum coeli silentium narro:
 Occulto de manna si plaudo,
 Odores ignotos si laudo:
 Extases, oscula,
 Raptus, Sponsalia
 Si jacto de me:
 Qui audiet me,
 Vah! dicet: infanis,
 Qui talia canis!

Fides. Siccine? tu, postquàm gustasti, & vidisti,
 Quàm suavis sit Dominus, Pf. 33.
 Se amantibus:

Ratio. Hic sedens in otio indulges affectibus?
 Est dulce otium: sine, Soror,
 Sine me in sinu Amantis requiescere.

Fides. Satis est, satis datum contemplationis illecebris,
 Satis Amoris deliciis!

Omnia

Omnia tempus habent:
 Est tempus amplexandi,
 Et tempus longè fieri ab amplexibus! Eccl. 3.
 Habet Amor sua otia,
 Sed & habet sua negotia,
 Habet labores, habet pugnas, & prælia.
 Quid? solum cor tu vis Amori sacrare? ...
 Atqui per omnes potentias juberis amare:
 Toto corde, tota mente, tota anima, totis viribus:
 SIC prorsus, SIC DEUS DILEXIT TE:
 SIC TU DEUM DILIGE.

Circumspice!.... *

Exhibitio.

Nunquid, qui animi gaudium extremis angoribus,
 Qui libertatem truculentis lictoribus,
 Qui famam infestis tribunalibus,
 Qui sanguinem flagrorum cruciatibus,
 Qui vitam propter te tradidit crucis doloribus:
 Nunquid tota mente amavit te,
 Nihil appetians SUPRA TE?

Et qui reliquit omnia, ut sibi assereret te:
 Nunquid tota animam amavit te,
 Et nihil PRÆTER TE?

Et qui pro te pedes fatigavit per itinera,
 Manus extendit ad prodigia,
 Oculos ad lacrymandum adhibuit,
 Linguam prædicando exercuit,
 Nec, ubi fessum caput reponeret, habuit:
 Nunquid tota virtute,
 Nunquid SINE MODO amavit te?

Ecce! hoc est Amoris affectum per effectus probare,
 Hoc verè, hoc solidè, hoc sincere amare.

Hhhh

ARIA.

1.

Quàm facile est, dicere:
 O DEus, ego amo te!
 Quod dicitis, probate:
 Splendore quòd spurio
 Illudat aurum oculo,
 Per ignem demonstrate.

2.

Affectus vestri pectoris
 Est, sicut radix arboribus:
 Et hæc, & ille latet:
 Quod utriusque meritum,
 Quis usus sit, quod pretium,
 Ex solo fructu patet.

Ratio. Omnino, bonum est consilium:
 Probabo me, Amor meus, utrùm sic amem te,
 SICUT tu amâsti me!

Fides. Per gradus ingredi! non enim licet volare.
 Sufficit, si hodie examines te:
 An Amor tuus *super omnia* DEum appetit?
 Sive, an ejusmodi sit,
 Ut nihil audeas SUPRA DEUM diligere?
 Hoc est enim EX TOTA MENTE diligere.
 Quòd si aut, ut obtineas bonum, quod cupis,
 Aut, ut effugias malum, quod metuis,
 Non horres DEum offendere;
 Jam utique intelligis,
 Quòd hoc sit TEIPSAM *supra DEum* diligere:
 Inspice, severè te inspice!

Ratio. Hem! quæ lux terrificâ subito
 Infundit se animo?

Repen-

Repente evanuit omnis consolatio,
 Et trepidè incipio dubitare de me,
 An unquam dixerim ferio:
 O DEUS, EGO AMO TE! ...

A R I A.

i.

Age, loquere cor meum:
 Nihil amas SUPRA DEUM?
 Ah! Amor, quid amem præ te? ...
 Tace lingua! tu cor meum
 Tu, quæso, testare de re! ...
 Quid mussitas? ...
 Heu! hæsitās? ..
 O triste examen pro me!

2.

Nam unde me probabo?
 Quos *Fructus* Amoris monstrabo? ...
 Hem! quæ credebar apici
 Jam summo imminere,
 Vix pedem montis attigi,
 Et cogor hic hærere
 Ambigua in spe:
 O triste examen pro me!



Hhhhh 2

MEDI-

MEDITATIONIS III.

De S. Francisco Salesio

PUNCTUM I.

TENTATIONIS ATROCITAS.

SCENA I.

Deagius. Meranus.

Deagius. **M**Erane! *Meran.* Vah! occurfus infelix! *Deag.* Nam cur me fugis tu? *Mer.* Video me deprehensum esse. Sed nihil interest, si prodo mysterium, quod diutius occultum esse non potest. *Deag.* De quo mysterio tu loqueris mihi? *Mer.* Nempe de veste hac, quam sartor heri confecit denique, & hodie Salesius induet. *Deag.* Moderatore ignaro nova vestis parari non debuit, & cui fini? *Mer.* Talem se obvium Illustrissimo Domino Parenti feret, cujus in hanc diem adventus, te teste, decretus fuit. *Deag.* Expecto in horas: evolve sarcinam Juvate me Superi! novum luctum hic color nuntiat. Clericalis est habitus: Clericum se Patri Franciscus sistet? *Mer.* Ita constituit. *Deag.* In mortem affiget. *Mer.* Gnarum consilii? *Deag.* Unde? *Mer.* Ex filii ipsius epistola, per quam licentiam petiit acceptandi Beneficium à summo Pontifice, ne quidem de tanta gratia cogitanti oblatum. *Deag.* Obscura sunt omnia. *Mer.* Igitur narrabo per ordinem. Consiliis Joyosæ Capucini quantum tribuat Salesius, non ignoras. *Deag.* Et probò, quia virum delegit sibi heroicè sanctum, nec vulgaris prudentiæ. *Mer.* Hominis famosissimi exemplum Salesium traxit

traxit in imitationis cupidinem. *Deag.* Vir erat Joyosa pacis, bellique artibus longè clarissimus, ex aulae proceribus ferè primus Regi ad invidiam charus; tamen cum ad summam fortunam deesset nihil, repente calcatis illecebris, ille sermonum, judiciorumque humanorum contemptor, fugitivus à castris mundi, sacco vestivit se, & elegit in domo DEI abjectus esse potius, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ipse suspexi actum dignum sanè nunquam interituris annalibus. *Mer.* Cum Joyosa igitur tractavit herus deliberationis de vitæ statu sapienter eligendo negotium? *Deag.* Suspicabar, nec erat, cur improbarem. *Mer.* Amore patriæ erroribus inquinatæ decrevit Sacerdotio addicere se, atque ut in hunc finem firmaret animum, nuper in Sacello Deiparæ extra urbem, præsentem me, votò perpetuæ castitatis se DEO adstrinxit. *Deag.* Probante Joyosa? *Mer.* Id nescio: hoc scio, quòd consilium suum continuò Patruo suo Gebennensi Canonico perscripserit. *Deag.* Et quid ille? *Mer.* Gavissus de sanctitate nepotis promisit, licentiam exequendi propositum se impetraturum à Patre. *Deag.* Actum aget: Primogenitum familiæ non patietur Parens dicari aris. *Mer.* Non erit tamen inexpugnabilis: Canonicus negotium non sine artificio egit. *Deag.* Audio. *Mer.* Commodè tunc Ecclesiæ Gebennensis Præpositura vacabat, dignitas ab Episcopo prima, & cui providere Pontifex debet: scribit Romam Patruus, & commendat cognatum, annuit Papa, Beneficium addicit Salesio. *Deag.* Mira narratio: nihil dubito, quin lateat in hoc eventu aliquid Divini consilii. Et gavissus est Juvenis de tanta gratia? *Mer.* Imò noluit acceptare: dicebat enim labores Sacerdotii ambire se, non honores. *Deag.* Mens digna Salesio! *Mer.* Sed rescripsit Canonicus: acquiescendum esse Divinæ Providentiæ honores offerenti nunquam desideratum: fore, ut sic ornatum Pater faciliùs manu mitteret: laboris materiam in Diœcesi ab hæresi, & vitiis passim corrupta etiam Præposito deesse non pos-

Hhhhh 3 se,

se, si voluntas adesset: abrumperet moram, & quanti sibi esset Pontificis gratia, palàm ipso habitu profiteretur, ne expectaro quidem consensu parentum: cætera se curaturum. Hæc causa, cur ignaro te ista vestis confecta sit, nimirum ne tu fortè Patruï placitis opponeres te. *Deag.* Rem novam audivi, de qua gaudeámne, an angar, medius hæreo. Sed dum unum explicas, alteri dubio implicuisti me magis. Dic: à quo tempore adeò supra votum voti compos *Franciscus* fuit? *Mer.* A prima notitia panè jam mensis fluxit. *Deag.* Mirum! & nunquam aliàs tristem, nisi hoc mense *Salesium* vidi: quæ causa est? fortè Pater jam negavit consensum? *Mer.* Responsum certè: hinc antequàm adsit Pater, statuit se vestire. *Deag.* Minimè suaserim: intremus.

S C E N A II.

Franciscus. Deagius. Meranus.

Meranus. **E**Cce orat! * *Deag.* Nam quid hoc sit? iterum deprehendo immersum lacrymis, & frustra tergis oculos, *Francisce*, à fletu turgidos. Jam maeste animo! huc usque tuum tibi silentium nocuit: quod ignorat medicina, non curat: nunc postquàm detexi tristitiæ fontem, facilè solatium erit. Habe tibi, quam adeò deperis, vestem Clerici: non sum contrarius sancto proposito, ut tu putabas; potius, quod hodie scies, apud Patrem patronus ero, ut, quem adeò ardentè expetis, consensum impetres. Consilium tantum non probo tuum, & tu, siqua tibi adhuc *Deagii* reverentia est, nequaquam subibis Parentis oculos vestitus aliter, ac ipse velit. *Franc.* Ah! Domine Moderator, non est homo inferior me! relinquitte me mihi, obsecro, & lamentis meis: nisi à fletu, & precibus, auxilium

* Animadversò *Deagio* *Franciscus* lacrymas conatur reprimere.

xilium non erit mihi. *Deag.* Cor Patris in manu Domini est : flectet ad vota tibi , si ferventer oraveris : ora igitur , non impediam , ora ! sed ut tristitiæ modereris , ora cum spe : spes non confundit : neque nactus Parentem es durum tibi , aut inexorabilem. Merane , depone sarcinam : imus ! tristibus solitudo solatium fert. *Mer.* Here , egregia vestis est , & digna Præposito. *Franc.* Aufer ex oculis , quæso , aspectus cruciat. *Deag.* Relinque : nisi falsus sim vates , hodie indues , nihil invito Patre : hodie diurnus luctus vertetur in gaudium , quod deinceps nemo tollet à te. Ora , donec adventus Patris ad pugnam evocet. *Franc.* Non habeo Patrem : infelix sum. *Deag.* Sic dolor loquitur. At Matrem habes : Maria Mater est ! verte animum illuc : Mater restituet Patrem : ora.

S C E N A III.

Franciscus solus.

ITa est : Pater me meus odit , dum me profani Principis servitio destinat : & Pater cœlestis abjecit , dum renuit à me amari. Ergò geminum Patrem amisi miser , neque tu misereris MATER Filii dupliciter orphani ? ... Fallor ! an Deipara quoque illos suos misericordes oculos avertit à me ? ... inepta dubitatio est ; nam cui DEUS Pater esse cessavit , utique Maria Mater esse non potest ! . . . Horrenda res ! quod licet omnibus , non licet Salesio dicere : *Pater noster , qui es in cœlis !* ... audite hoc muti parietes , sed nemini meam miseriam prodite ! Franciscus Salesius (audite , & miserescite !) Franciscus Salesius est *infelix illa creatura , quæ DEUM suum æternùm amare non poterit , & quam DEUS suus æternùm amare non volet !* O calamitas ! ô horror ! ô supplicium immane , atrox , intolerabile ! ... Salesi , locus tormentorum est paratus tibi ! tibi ardet ignis tartareus , ignis , qui te involvet undique flammis devorantibus carnem , populantibus ossa , cruciantibus

tibus viscera, exsiccantibus medullam ossium, in ipsum immortalem Spiritum rabie æterna furentibus: tremit animus vel ad memoriam tantæ calamitatis... Et tam gravibus oppressus miseris quid faciam? .. qui erunt damnati mecum, flebunt, scio, stridebunt dentibus, *ponent in cælum os suum*, os impium, rebelle, sacrilegum: blasphemabunt DEum meum: ego! .. quid obmurmuras infelix anime? ... quid? Franciscus Salesius damnatus cum damnatis DEum suum blasphemabit? ... Salesius blasphemabit! ô vox, tristior tristissima æternitate! .. Sed hoc absit à me! hoc non fiet! sit mihi cælum & terra testis, non blasphemabo! furat ignis, rodat vermis, fredeant focii, fremant diaboli, non blasphemabo; scio enim, DEus mi, quòd etiam *cum austerus es*, quia semper justus es, semper sanctus: ... Verùm blasphemantes tamen necesse erit audire: dolorum impatientia, & rabidi dæmones huc adigent miseros: audiam! neque licebit corrigere! tormentum hoc est *amanti* omnibus tormentis acerbius! ... amanti, ita: sed tu errasti, Salesi: nam tunc *neque tu DEum amabis, neque DEus te!* eccredit amarissima cogitatio de tristissima conditione creaturæ, *quæ Creatorem suum æternum amare non poterit, & quam Creator æternum amare non volet!* Huc, infelix, huc redigeris. Et quando? post mortem utique: *interè* quid ages Francisce? prò! ut se mutavit animus ab uno mense! recordor principii: quâ horâ decrevi Sacerdos fieri, eadem incepti miser esse: quocunque incedo, aures animi vellicat tristissima vox: *si eris ex numero Clericorum, eris ex numero damnatorum!* igitur hac veste indui, idem erit, ac inferno consecrari. Et si non induar, utique salvus ero? minimè gentium! nam primæ voci successit altera, quæ dixit mihi: *Salesi, agere, quod libet, licet, nam ut esses inter reprobos, DEus voluit: lata sententia est, neque mutari potest!* Ergò si me ultrò ad labores, & curas damno, quas ista vestis exigit, & si Sabaudiam universam lucrabor DEO, quid me juvabit? heu! undique fluctus premunt!

SCENA

SCENA IV.

Franciscus. Deagius.

Deagius. **R**ursus adsum: nam urget cura, ne mæror filii malè Parentem habeat. Ut successit oratio? *Franc.* Non aliter ac pumex arui. Sed tu consiliò solari, Deagi, potes. Quæro: si abjecta veste Clericali acquiesco voluntati paternæ, num spes sit salutis super? *Deag.* Audio, deliberationis negotium cum Joyola peractum esse: itaque si vocare DEum, dubitandi prudenter non est ratio, resilire à proposito, & retrahere ab aratro manum, res est periculi plena, postquam verbis adeò apertis dixit Dominus: *qui amat patrem plus, quàm me, non est me dignus*, Math. 10. *Franc.* Tinnunt ambæ aures ad hanc sententiam! verùm si vocationi parvero, num certa est salus? *Deag.* Non-dum sanè: aliud enim est ingredi viam designatam à cœlo, aliud nunquam aberrare, donec teneas terminum: vigilare, & orare omnes jubemur, ne filium prædestinationis nostrâ culpâ rumpatur. *Franc.* Prædestinatio, horrendum mysterium! quid? si ego prædestinatus non sum? *Deag.* Nimirum facere debes, Francisce, ut prædestineris. *Franc.* Illudis ignorantia meæ: atqui hoc intelligo tamen, quòd prædestinatio, aut reprobatio mea facta sit ab æterno; igitur quid ego in tempore faciam? *Deag.* Noli errare ex Calvinii insania; loquamur rectè: *prædestinationis initium*, puta, *præscientia*, & *selectio* gratiarum, per quas operaberis salutem tuam, æterna fuit, ita est: sed *prædestinationis perfectio*, five complementum, quod in illarum gratiarum usu *successivo* consistit, utique à te liberè in tempore ponitur: dubitas? *Franc.* Declarari responsum vellem. *Deag.* In exemplis veritas velut in meridie splendet. Aliquibus DEus ab æterno opes, honores, longam vitam destinavit: nunquid? *Franc.* Certè, nihil enim fit casu, aut sine consilio DEI: ita me fides docet. *Deag.* Iisdem ad hos fines providit de idoneis mediis, de loco, de tempore,

Iiiii

d

de occasionibus lucri, unde ditescerent : de libris, de Doctoribus, de Patronis, à quibus promoverentur : de victu, de commodis, de Medicis & medicinis, per quas valetudinem vel servarent, vel repararent : atque hoc decretum *de mediis* nunquid rursum DEI fuit, & æternum fuit ? *Franc.* Negari non potest. *Deag.* Applicatio autem, sive *usus mediolorum* cujus est, aut quando est ? *Franc.* Jam lucem aliquam nocti inferis. Nimirum hominis est initium beneficii sibi ab æterno præparati per usum mediolorum complere in tempore. *Deag.* Rem tenes, & stultescere dicemus eum, qui solâ DEI præscientiâ fretus vellet *sine labore* locupletari, *sine cura* proficere, *sine medicina* sanari. Idem ergò in materia salutis sentiamus, scilicet : quòd nemo *nisi volens* damnetur, nemo *sine sua cooperatione* salvetur. Sed quorsum divagaris, Salefi ? veniet tempus, cum annis, & scientiâ auctior doctrinam Catholicam expendes profundius, & propugnabis. Nunc hæc est quæstio : an, postquam Roma ornavit te dignitate Præpositi, de vocatione ad Clericatum primùm incipias dubitare, an potius in executione vocationis contra genitoris voluntatem aliquid hominis persentiscas ? Certè hoc videbaris innuere, cum interrogares, an sine animæ detrimento posses parere Patri. *Franc.* Non, Deagi, non dubito, quin Clericum me DEUS velit ; sic enim amo animas, ut amare illas nemo videatur mihi, *nisi JEsus, & ego.* Aufer à Sacerdotio omnes redditus, tolle honores, & titulos, nulla relinque commoda ; tamen ambiam, modò spem lucri animarum non auferas : non tibi hic ambitus dignus est, ut originem à coelo habere putetur ? *Deag.* Habet, quia & sanctus, & prudens est, quippe conjunctus cum spe prudente, quòd desiderio respondere fructus conveniens possit. *Franc.* Sed neque renitentia Patris valde argit : cedit, si ego non cedam ; novi indolem viri, & amorem virtutis : *unum onus officii* terret etiam Angelicis humeris formidandum. Quid, si opprimar ? quid ? si, *cum aliis prædicavero, ipse*

repro-

reprobis efficiar? quousque autem dissimulo vulnus, quod animum torquet? quid dico: si efficiar reprobis? audi me, Deagi, imò vide me, obsecro! *Deag.* Quid vis, ut videam? *Franc.* Fateri: non tu notas damnationis æternæ legis in ista fronte? *Deag.* Prò Superi boni, quid iste garrit? *Franc.* Hem! vultum avertis? nempe diriguere oculi in funesto aspectu hominis reprobati à DEO! miseret me tui, vir bone! infelix Moderator es, quippe qui Juvenem educaveris, qui *DEum in æternum amare non poterit, & quem DEus in æternum amare non volet.* O curas malè collocatas in me! Domine, plus tibi, quàm Parentibus debeo; illis debeo, quòd homo sim, tibi, quòd huc usque bonus homo! functus es *Moderatoris* officiò cum perfectione: justus eras *moderari* mores, studia, recreationes meas, & habes grati animi causâ fatentem palàm: *mores* à te didici, quorum cultura DEO, & hominibus me amabilem reddidit: *Studiis* te duce sic me addixi, ut semper labor in amore, otium in odio fuerit: *recreationum* usus te vigilante nunquam in noxios abusus degeneravit: vinum, venerem, & iram te adhortante assuevi fugere, horrere, triumphare; denique ad regulas *sane rationis, & sanctæ fidei* formare omnes actiones meas, præcipuè verò *Amores meos* ei, qui solus amabilis est, uni consecrare ab infantia tu docuisti: gratias habeo, optoque, ut possim æternas reddere. Sed actum est, cheu! separabimur Amice, separabimur in valle Josaphat, & tu quidem curæ pro me tuæ præmium expectans inter oves à dextris stabis: Salesius autem à sinistris inter hædos stans videbit te in corona Sanctorum, fremens ac tabescens, quòd ejectus sit à Societate eorum, qui *DEum suum æternum amabunt, & à DEO suo æternum amabuntur!* Ecce! huc denique fructus industriæ desinet, quam sterili arbori impendisti Colonus infelix: *excidetur, & ignem mittetur!* *Deag.* Francisce! quæ te intemperiarum agunt? egone unquam sic sentire, sic loqui te docui? *Franc.* Noli de me affligi, charissime Moderator! justus est Dominus,

& rectum iudicium ejus. etiam cum projiciet me à facie sua! tu lauda hanc justitiam, æternum lauda, etiam pro me, cujus vox à vocibus blasphemantium obruetur. *Deag.* Turbâsti me. Nam egône seria esse ista lamenta credam? *Franc.* Crede mihi, verè unus ex reprobis sum! Eheu! ex illis unus, qui DEUM æternum amare non poterunt, & quos DEUS æternum amare non volet! *Deag.* Deliras miser, & helleborò potiùs, quàm consilio indiges: tace! impero! neque posthac verbum de ista stultitia loquere. *Franc.* Obedio, & sileo: at flere saltem per te licebit! *Deag.* Quid dicam? jam mihi cor in curis est quoque, & oculi in lacrymis natant. *Franc.* Fallor! an miserix gravitas tandem miserationem concivit? *Deag.* Iterum garris? jamne oblitus es, quod dixi antea: *nemo damnatur nisi volens*: num vis damnari? *Franc.* Ah! nolo utique, damnabor tamen! reprobavit me DEUS! ita mihi hic animus loquitur. *Deag.* Maligni serpentis sibilum audis: aures obtura. Ego DEUM laudo, quòd tandem adegerit te, ut loquereris: tu discè, quantum noceat Juvenimprudens silentium, & *cura latendi*. Jam panè mensum integrum video te ambulare in tenebris tristem, turbidum, inquietum: nunquam veram mæroris causam narrâsti requirenti sollicitè factis: ita invaluit malum, & lentiùs fortè medicina vim exeret. Nunc age, quòd tempus postulat, & intemperiem saltem dissimula Patri; ad hilaritatem compone vultum, & comitate, quæ decet, excipe venientem. *Franc.* De Patre non sum anxius: erit hilaris, cum audiet, quòd consilium Clericatus abjecerim. *Deag.* Quòd audio novum malum? consilium abjecisti, de quo dixeras, quòd non sis dubius, quin sit Divinum? *Franc.* Homini reprobo, ut suscipiat Sacerdotium, necti suadebis. Nunquam Sacerdos damnatur solus: semper comitantur, quos vel per scandalum, vel per acediam secum à DEO abstrahit. Ego, quia pereundum est, malo perire solus, quàm cum multis. *Deag.* Ecce per caudam se prodit draco; ut vocanti DEO tergum ver-

verteres, persuadere tranquillo non potuit: turbavit, vicit, succumbis. Miserrime Adolefcens! adeone una tentatio totum evertet ædificium summæ spei, quam cœlum, & terra de te concepit? Enimverò incipio credere, quòd ad marginem inferni stes: adhuc impulsu est opus, & in abyſſo jaces. Fides, spes, charitas, omnia periclitantur: ultrò te adjunges numero animarum infelicitum, *quæ DEum suum æternùm amare non poterunt, & quas DEus suus æternùm amare non volet.* Franc. Ah! erras, Deagi, erras; nam idem amor, quò amo DEum, & SUPRA DEUM nihil amo, idem adegit me, ut, quantum heri desideraveram Sacerdos esse, tantum hodie horream, eò quòd horridius nihil videatur, quam Sacerdos damnatus: judica, num malè horream? Deag. Malè utique, quia non est sapientis mutare sententiam, cum perturbatus est animus; serena fit mens oportet, ut benè judices. Jactas amorem DEI: non datur amor, qui spem excludit; datur enim præceptum spei, quam si tu abjicis, utique simul amorem abjicis, qui voluntatem observandi præcepta in se includit? vide, quò te adigat reprobationis opinio: reprobus eris, nisi opinari desinas, quòd reprobus sis. Franc. Heu! in quas angustias coarctas animum! Deag. Nihil suspiria juvant: pugnandum est, & vincendus contemptu dæmon, constantiâ Pater: delibera, obedire num velis. Franc. Utinam possim! Et tu abis? Deag. Ira, & miseratio abigunt, miseratio erga miserabilem, ira adversus pertinacem.

S C E N A V.

Franciscus solus.

JAM verò vide, quò te vertas, Francisce! desertus à DEO, & hominibus es! inter homines Pater, & Deagius huc usque fuere charissimi: jam Pater persequitur, Deagius fugit; quò abis? ominosæ voces sunt: *ira, & miseratio abigunt, miseratio erga miserabilem.*

ferabilem, ira adversus pertinacem! pertinacia in Juvene reprobationis est signum, & incorrigibilitatis initium, sæpè audiui. Novum argumentum mæroris habeo, & imminentis exitii, in cuius margine me stare ne ille negavit quidem, qui me solari volebat: ideò miserabilem prædicavit. Quid? si Joyosæ me fisterem? scilicet etiam illum ira, & miseratio à me avertent, quia ego Medico animæ tamdiu texi morbum, qui me affligit, donec incurabilis fieret. Superest, ut ad Coelites fugiam! Sed cui bono? si reprobus sum, nunquid Coelitem aliquis pro me intercedet? Mater!.. Domina!.. Patrona!.. Advocata! opitulare Salesio cum infelice æternitate luctanti!.. non opitulaberis? ... heu! torpent omnia: nulla vel tenuis solatii scintilla micat. Ergò scinde pectus dolor, & invisam cœlo animam expelle citò! .. Imò ignosce cœlum! erravit lingua! aliter loqui decet Domino, cùm sim pulvis, & cinis! ... *nonne subjecta erit DEO anima mea?* Erit, benè habet: & si reprobationis sententia lata est adversum me, lata sit: hoc vel damnato Salesio solatium erit: scire, quòd non à tyranno, sed à DEO iusto & sancto damnatus fuerit. Verùm ò triste solatium! ... heu! mæror elidit animam! .. Quid ago autem? sic mærentem, nisi caveo, Patrens opprimet. Fugere ex his ædibus juvat: inveniam angulum, ubi securè lacrymer. O cœli! aeni cœli! videre Salesium sic afflictum potestis, quin liquecatis? .. Lamentum ridendum tamen! nam quid cœlum ad me, & ego ad cœlum? ... terra, terra, terra, tu loquere, an feras hominem, qui sit inferior me! ..

SCENA VI.

Pater. Deagius. Meranus.

Meranus. **H**ere! .. here! .. quorsum abscessit homo? .. etiam cubile yacat ab incola... *Pater.* Mature debbat
Pater

Pater per Moderatorem moneri. *Deag.* Clam me rem omnem filius cum Joyosa peregit. *Mer.* Domine, nusquam Franciscus comparet: exiisse domo pallium & pileus, qui absunt, testantur. *Pater.* Oculos subire paternos num timet? *Deag.* Certè conturbatus animò videtur, atque Patri an DEo obediat, miserè hæsitans. *Mer.* Veluti de consensu paterno certus jussit occultè has vestes confici: postea ex tuo ad epistolam silentio, decretòque huc itinere territus in mærorem se dedit. *Pater.* Consolabor; nam etsi tenerrimè afficiar filio tantæ spei, non tamen is sum, ut contradicere DEo velim, si ereptum familiæ asserere sibi velit: Dominus est. Verumtamen discutiendum maturo examine consilium est, utrùm illud juvenilis impetus, an Divinus instinctus peperit. Inquire fugitivum Merane, bonoque animo esse jussum hinc siste mihi. *Deag.* Non potest abjisse longius. *Mer.* In aliquo templo reperiam certè. *Pater.* Pro mea in te fiducia, Deagi (nam quòd talis sit Franciscus meus, tibi post DEum debeo, tuæque curæ: & amavit me coelum sanè, quod filio de tali Moderatore providit,) explico tibi animi mei motus, quos litteræ pro licentia Beneficium Pontificium acceptandi supplices excitaverunt. *Deag.* Gratiam facis, Illustrissime vir: nam me Salesius de hoc argumento in hanc diem celatum voluit; credo, quòd crederet, me Patri potius adhæsurum, quàm sibi. Hodie exhibuit se demum, neque integrum tamen, neque, ut apparebat, in proposito firmum satis. *Pater.* Scripsit ita, ut juvenismi non nihil epistola referat, sic tamen, ut Spiritus DEI rexisse manum videatur: sic orditur: *Illustrissime Domine Parens! Philosophicis studiis proximè finem impositurus, venio ad te supplex, ut licentiam impetrem ad Theologica transeundi: Equidem tu, Pater, ut Jurisprudentiæ me dederem, imperasti, quòd cupias, ut tuis insistens vestigiis ad tuenda jura patriæ, ac Principis nostri idoneus redderem: sed ego, cum semper ita animum scientiis addixerim, ut illarum adminiculò jura DEI mei pernoscere tota virtute contenderem: in dies magis, magisque*

gis que perspicio, quòd quàm multi, quàm seduli, quàm strenui Sabaudi
 sunt in propugnandis juribus Ducis, tam ubique jura DEI violentur
 impune, præcipuè in Provinciis, quas schisma deformavit. Deag. A-
 stutè per ambages aggreditur. Pater. Paulatim ad rem accedit.
 DEus ex Dialecticæ placitis describi potest, quòd sit terminus, & ex-
 tremum omnis cupiditatis humanæ: inde est jus herile, vi cujus manci-
 pium, quidquid lucratur, hero debet: quantis igitur injuriis DEus im-
 petitur, quando omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ JESU Chri-
 sti? Quòd DEus sit auctor naturæ, in Physica didici: sequitur, quòd
 jus proprietatis rerum omnium ad DEum pertineat, neque homines aliud
 nisi Emphyteuta, & vasalli sint DEI: ergò, ô Cœlites, quàm latè cri-
 men felonie grassatur, quando homines passim bonis DEI contra DE-
 um abutuntur! Deag. Acutè advertit, & piè. Pater. Pergit: Me-
 taphysica deinde me docuit, quòd DEus sit ens à se, ex quo prædicato
 prærogativa independentiæ nascitur: quanta igitur contumeliæ inferun-
 tur ab iis, qui ordinationibus Divinis obmurmurant, ipsamque provi-
 dentiam velut ad reddendam decretorum rationem ad suum tribunal ci-
 tant? Jurisprudentia verò DEum esse Regem regum, & Dominum do-
 minantium nunquid fatetur? lese ergò Majestatis enorme crimen com-
 mittunt, quotquot quemcunque hominem plus timentes quàm DEUM
 displicere Domino non horrent, modò placeant servo. Denique à Theo-
 logia DEum audio nomine summi Boni describi: concludo, quòd ei sum-
 mo jure summus Amor debeat: & quis reddit, quòd debet? quis ap-
 pretiat super omnia? quanti propter pugillum hordei, & fragmen pa-
 nis amorem suum à DEO aversum creaturæ affigunt? Deag. Pro-
 fectò gravissimi sensus etiam in stylo juvenili se movent. Pater.
 Jam propiùs accedit ad rem. Domine parens, ego DEum non
 considero tanquam extraneum Principem, cujus jura me æquè nihil af-
 ficere debeant, ac jura Regum Chinæ, aut Persiæ: absit! meus est Do-
 minus, & illius injuriæ omnes sunt meæ: singulas acerbissimè sentio,
 & quantum in me est, abolere, vel si sanguine & vitâ conatus con-
 stat, ardentissimè cupio. Deag. Superi! quis det, ut in hunc finem
 litte-

litterati omnes Studiorum laborem consecrent! *Pater.* Sequitur supplicatio: *Desideriis tam piis cum non alius magis, quam Sacerdotii status feliciter subserviat, per Amorem, quò uterque DEO adstringimur, supplico tibi, Pater, ut pace tua huc aspirare tuo Francisco liceat. Memento* (nunc adverte animum, quàm me fortiter stringat) *memento Pater, quòd Pater sis quidem, sed non Dominus filiorum tuorum; depositum sumus: DEO debemur. Tu, si apud te Sabaudie Princeps tres gemmas deposuerit, nunquam audebis dicere: adamantem familie dono, smaragdum Ecclesie consecro, carbunculum ad gladii mei splendorem destino! nimirum excipere Princeps posset: festinalentè, vir bone, mee sunt gemmae, non tuae: quid ego velim, audire à me debes, non pro tua voluntate statuere. Deag.* Ad rem similitudo mirificè facit. *Pater.* Epilogum audi: *Jam verò, quòd impulsus, quò ad Sacerdotium feror, à DEO sit, probat finis, quem intendo, confirmavit Joyosa, quem ipse aestimas, Christi Vicarius gratiã non expectatã declarasse est visus, id quod ex Patruo non sine admiratione audieris. Vale, & propter Amorem DEI votis meis citò responde! Deag.* Domine, digitus DEI has litteras scripsit. Ut tamen negligas nihil, quod in hoc negotio humana prudentia potest, suadeo, ut cum Joyosa potiùs, quàm cum filio consilium in eas. *Pater.* Rem bonam suades: duc statim! novi virum; sanctitas, & prudentia consilium bonum dabunt. *Deagi,* velut si Isaacum ab Abrahamo victimam sibi coelum peteret, ita cor meum in me tumultuatur; si tamen petat, habeat: non mihi, sed coelo genui. *Deag.* Sic coelum utrumque amet!



alle

Kkkkk

CHO-

CHORUS.

Stultitia animæ seipsam supra DEUM Amantis.

Homo Viator. Philautia, sive Amor sui. Amor DEI.

Viator. Dux optima! ex aliis in alias me trahis delicias.
Sed hic juvat paulò diutiùs conquiescere,
Et frui amœnissima scenæ pulchritudine.

Pbil. Fruere, & judica, quàm nequiter te decipiant
Homines misanthropi,
Qui vitam præsentem
Valli lacrymarum comparant,
Heracliti perpetui.

Viator. At me sic afficit ista regio,
Ut (nam cur dissimulem?)
Si DEus daret æternùm hic vivere,
Coelo possim carere facilè.

A R I A.

Terra mihi sufficit:
Terræ bona video,
Tango, & olfacio,
Coeli bona nescio:
Bonum, quod non capio,
Animum non afficit:
Terra mihi sufficit.

Amor Dei. Superi! quid audio?
Nunquid ad præsepe, si loqui posset,
Idem audiremus ab asino?
Homo stolide!

Nulla

Nulla tibi est iudicandi facultas,
Nisi sensus, & imaginatio?
Nihil de coelo loquuntur Fides, & Ratio?

A R I A.

Sancta superbia
Hominem occupa!
Discat, in quantas creatus sit spes:
Discat à corpore
Mentem distinguere:
Animal, anima duæ sunt res.
Animal obviis
Lætum in pascuis
Cubat, volutat, exaturat se;
Alia pabula
Esurit *anima*:
Anima! sidera gemmant pro te!

Phil. Sidera, sidera nimis à nobis remota sunt:
Tu frui bonis, quæ propè sunt.

Viator. Utinam essent perpetua!
Sed, quidquid reluctet, omnia turbat gaudia
Identidem animo se obtrudens cogitatio:
Quàm diu sic? &, quid postea?

A R I A.

O mea cythara!
Hodie melos suavissimum sonas:
O læta silvula!
Hodie caput hęc myrto coronas:
Hodie amat me

Kkkkk 2

Omni

Omni amore amabilis fors:
 Cras, heu me! heu me!
 Omnia vertet implacida mors.

2.

Pro carmine dabitur Iesus,
 Pro myrto me cinget cupressus,
 Succedet putredo, & cinis:
 Hic erit lætitiæ finis,
 Hæc sortis meæ fors,
 Implacida mors!

Amor Dei. Superi! tales iste suas esse delicias intelligit,
 Et tamen præ perpetuis eligit!
 Homo miserrime!
 (Nam quousque peregrinantur aures tuæ à me?)
 Tandem audi me, & sequere!
 Dux ero tibi per Amoris semitas
 Ad delicias infinitas meliores,
 Et insuper perpetuas. *

* Exhibitio

Phil.

Quid audio? quid video?
 Ad has tu nos invitas semitas?
 Heu! quam arcta est via,
 Et quam aspera!
 Rupibus undique, & spinis obsita!
 Insuper infamis
 Ab horrendis casibus plurimorum,
 Qui relicta hac valle in cautes enixi
 Repentè fallente vestigio
 Præcipites deciderunt,
 Et sic utraque felicitate
 Æterna simul, & temporanea caruerunt.

ARIA.

ARIA.

1.

Est verè felix terminus,
Sed via incommoda nimis:
In passibus primis
Languens deficies,
Retrò respicies,
Et dices: cur hac ivimus?

2.

Sit ingens laus victoriae:
Si tamen pugnandum obstanti
Pro palma giganti,
Tanto discrimine
Tantulam gloriae
Spem ego nollem emere.

Amor Dei. Viator, noli credere Syrenis fallaciis:
Viae difficultates non esse nullas, fateor,
Sed illa impiis exaggeravit mendaciis,
Et, quotquot jactavit de rupibus decidisse,
Tu, scito, à PHILAUTIA
Præcipitatos ruisse:
Ipsa omnium est rea cædium.
Itaque si potes hanc meretriculam
A te dimittere,
Viam securus ingredi, *Amor Dei.*
Me solo comite.

Philaut. Vah! patior contumeliam?

ARIA A DUETTO.

Tu audes te ducem offerre
Tanti itineris,
Qui tantulus masculus es?

Kkkkk 3

Amor

Amor Dei. Tu audes te vecors miscere
Tantis consiliis,
Quæ stolidi fœmina es?

Philaut. Imò nec masculus,
Musculus es!

Amor Dei. Agis clamoribus:
Fœmina es!

Ego quot passibus altior ero,
Totidem gradibus fortior ero:

Philaut. Vana jactantia!
Musculus es!

Amor Dei. Jacta convicia:
Fœmina es!

Viator. Cessate litium! res mea agitur:
Viam mediam eligo.

Jure Cœli, quod per Christum habeo,
Me ultrò volens abduco,
Quia possessionem adire non possum
Sine incommodo.

Hoc tamen vicissim exigo
A Cœli Domino,
Ut pro Amore, quò ipsum amabo,
Et pro obsequiis, quæ præstabo,
Bona terræ concedat mihi *jure perpetuo.*

Amor Dei. Trepidate aures! auditis blasphemiam!
O septem Sapientibus
Dignam sententiam! ...

Sed lata est altera, ab ipsa Sapientia:
Qui amat animam suam plus, quàm me,
Non est me dignus! Matth. 10.

ARIA.

A R I A.

1.

O curæ, & coelestium
 Inanes animæ!
 Amores inter subdolum,
 Et verum noscite.
 Hæ erunt regulæ:
 Qui bene odit, amat se,
 Qui malè amat, odit se:
 Has intelligite.

2.

Non veto vos amare,
 Sed veto sic amare,
 Ut Amorem Numinis
 Velitis abdicare:
 Si fortè vestris commodis
 Ostendat se obstare.

PUNCTUM II.
 TENTATIONIS VICTORIA.

S C E N A I.

Pater. Deagius.

Pater. JAM verò non miror, Deagi, quòd filius fugerit con-
 spectum Patris; atrocitas mali, quod premit animum,
 sic turbat, opinor, ut omne consilium, & ipsa mens relique-
 rit Juvenem. Miseret me! sed cur tu mihi filebas, quod Joyo-
 sæ narrasti? Deag. Quare cor Patris affligerem sine fructu? præ-
 sente Joyosa verò necesse fuit detegere veram radicem mali, ut
 pru-

prudens Medicus, quam cupiebam, medicinam præscriberet. *Pater.* Et nempe novum contra me argumentum haberet. Ufus est strenuè, filiique ad Clericatum vocationem à DEO esse, sic evicit, ut captivaverit intellectum, quanquam voluntas adhuc repugnet. *Deag.* Inclinationis ad Sacerdotium origo, finis, effectus, omnia pro Salesio pugnant; non impetus juvenilis in hoc consilium rapuit: oravit DEum, deliberavit secum, quid humeri ferrent; consuluit Joyosam virum à sanguine, à religione, à sapientia inclytum, atque in discernendis spiritibus expertissimum. Quid insuper, Domine, ad *prudentem* resolutionem requiris? & accedit prudentiæ *sanctitas*, quam finis probat. Præpositi dignitatem Patruus inscio impetravit; cæterum ille non præbendam, non pinguedinem, non lanam, sed oves, & labores pro DEO, & Ecclesia unice appetiit sibi: potestne sanctior *intentio* exigi? fructus autem, *effectusque* (quod Joyosa solerter advertit) in hac ipsa tentatione, quæ Juvenem miserandum jactat, se exhibet nobis. Ex præclaris naturæ ac gratiæ dotibus, quibus ornatus est Adolescens, præfagit inimicus humani generis imminetia damna à Salesii Sacerdotio suis conatibus metuenda; unde videas, Domine, (nam cur, quod Joyosa dixerat, repetere non liceat?) videas, cujus voluntati conformes te, quamdiu durum te filii desideriis præbes. *Pater.* Omnia intelligo: sed difficile sacrificium postulas à me, DEus mi, & propè Abrahamico æmulum! Isaac meus, meus risus, Matris cor, familiæ spes præcipua, solatium senectutis eripitur! .. ipsi loquar. Tu solus redis?

SCENA II.

Pater. Deagius. Meranus.

Meranus. **H**erus jussit; spondit tamen, propediem se adfore, cum, quod vellet, à Deipara impetrasset. *Pater.*

ter. Ubi hæret? *Mer.* Post longam per templa discursionem tandem in suburbio reperi supplicem ad Statuam Virginis in Sacello, quod sancti Stephani Græcorum appellant. *Pater.* Nimirum ut fleat me in vota sua orat Divam? *Mer.* Rem oppidò horrendam narro, si licet loqui. *Deag.* Consolatricem afflictorum credo audieris interpellantem pro se. *Pater.* Tu narra omnia, dissimula nihil. *Mer.* Solus erat, gemitibusque sine arbitri metu liberrimè indulgebat, cum ego irrepsi. Vidi in amarissimas lacrymas sic diffluentem, ut etiam istum filicem commiseratio liquaret. Iterabat sæpissimè lamentabile suspirium: *Opitulare Domina! Domina, non opitulaberis Salesio cum infelice æternitate luctanti?* *Pater.* Idem misellum luctus adhuc excruciat! *Mer.* Addidit, (& horruerunt aures meæ ad tetram vocem) addidit, inquam: *fierine potest, ut te sciente, ô Mater mea! inter reprobos numeretur Salesius?* *Pater.* Ah! ut ego infelix Pater sum, si filium genui æternum damnandum! *Deag.* Non, non erit inter damnatos Salesius, non erit. *Mer.* Similia tamen querebatur. Heu! ingeminabat: *Fierine potest, ut ego sim infelix illa creatura, quæ DEum suum æternum amare non poterit, & quam DEus suus æternum amare non volet!* Ah! non horreo tormenta diaboli, modo Amore non priver: amo te DEus, vel si austerus es, amo: da, ut æternum amem. *Deag.* Tanta virtus reprobari non potest. *Mer.* Etiam cogitabam, dicebámque mihi ore tremulo: Merane, si Salesius non salvabitur, quæ spes est tibi? *Pater.* Deagi, si flagitiis rogo æterno dignis inquinavit se puer, animam pro anima à Judice DEO postulabo: tuæ curæ commisi, tu reus eris. *Deag.* Nihil metuo: tu porrò narra. *Mer.* Ut abrumperem gemitus, tandem in conspectum me dedi: erubuit; sed solatium non admisit. Monui, advenisse Patrem, dixit: nuntia charissimo Patri, hominem Salesiò miseriorem non dari: jurasse me, non discessurum à pedibus Matris antè, quàm aliquid solatii emen-

LIII dica-

dicaverim: ignosceret moram Pater, & miseresceret! *Pater.* Si-
mitem desperanti describis: quid faciam? *Mer.* En! ipse intrat.

S C E N A III.

Personæ omnes.

Francisc. **J**O! solata est Mater, jam Patri accido. *Pater.* Ecce!
arctissime stringo te! abjice pueriles metus! nullus
ex his brachiis diabolus rapiet. *Franc.* Non jam hoc agitur, Pa-
ter mi! diabolus non timeo: ut per te liceat amare DEUM me-
um, hoc supplex rogo. *Pater.* Fili, itane tibi scelestus video,
ut prohibere illius Amorem velim, supra quem nihil amabile est!
Franc. Jam felix sum! & licebit super omnia amare DEUM? *Pa-
ter.* Ama, quantum potes: omni Amore ama! *Franc.* Concedis
adeo, ut plus DEUM amem, quam te, mi Pater? *Pater.* DEUS
est magis Pater, quam ego sim: magis ama! *Franc.* Et magis
etiam quam Matrem, quam sorores, & fratres, quam omnem
familiam Salesiorum? *Pater.* Omnia nostra DEI sunt: magis
ama! *Franc.* Et magis insuper, quam mea quæcunque commo-
da, quam sanitatem, vitam, ipsamque salutem meam? *Pater.*
Nihil amandum est SUPRA DEUM, DEUS super omnia! absit!
ut hoc prohibeat Pater! mille infernis non expiandum commit-
tit facinus genitor, qui non invigilat filiis, ut nihil ament supra
DEUM. *Franc.* Satis est: ergo jam per te licet hac veste indui?
affer, Merane, mihi! beatus sum! *Pater.* Sic! huc ibas per has
ambages? *Franc.* Huc ibam, & (plaudite Cælités!) jam teneo
terminum. *Pater!* Revocabo in viam. Ama DEUM, sed sicut
vult Pater, ama. *Franc.* Hem! & non sicut DEUS amari vult,
sic amabo? non amabo, quantum possum? non super Patrem
amabo? aut forte amandi licentia data est mihi pro affectu tan-
tum, non ad effectum? Heu! infelix Pater! si forte hac durities
te unâ cum filio inter reprobos ponet! *Pater.* Redis ad stultos
timo-

timores tuos ? ut fias Clericus, non est præceptum ; itaque si prohibeo, nihil pecco. *Franc.* Ut sim Sacerdos, non jubet DEUS; sed invitat, cupit, urget : vetat Pater, nec peccat tamen ! Deagi, quid Theologi docent ? loquere pro me tandem ; promiseras enim ! *Deag.* Ipse satis eloquens es : urge causam, nam places mihi. *Pater.* Cessate obloqui : amo te, fili mi, & quod Amor dictabit, agam. *Franc.* Amas me ! probasti, quòd DEUM magis, quàm Patrem amem : cupio, ut tu similiter DEUM magis, quàm filium ames : filium vult DEUS ad aras sibi. Ah Pater ! quandoquidem ego sum illa infelix Creatura, quæ DEUM æternum amare non poterit, & quam DEUS æternum amare non vult. Saltem dum vita superest, sine, ut amem DEUM ! sine, ut super omnia amem ! sine, ut hoc Amore incensus, relictis rebus, ac spebus vanis, uni curæ animarum me consecrem. Quid ? Pater es tu, & hoc æternæ miseræ solatium negabis filio, ut possit lucrari animas, quæ amare DEUM æternum poterunt, quòd ipse non poterit ? *Siles,* mi Pater ? *Pater.* Surge, discede ! cogitabo, quid sit agendum. *Franc.* Eja ! commovit viscera Patris infelicitas filii ! triumpho ! tota quanta es Sabaudia ! DEI eris : ego adducam ! DEUS, dum vivo, amabo te, & SUPRA TE nihil amabo ! & *quanquam austerus sis mihi,* amabo tamen ! Quòd si post mortem amare non possim miser, erunt centies mille alij, qui meo labore, sudore, sanguine amare docti pro me amabunt te, æternum amabunt ! in hac spe acquiesco sententiæ, quam tulisti contra me.

SCENA IV.

Pater. Deagius.

Pater. **A**Udisti atrox gaudium, quò gaudet puer ? *Deag.* Domine, heroica virtus ex puero loquitur, vel in primis Sanctorum obstupescenda ! *Deag.* Nihil metue de vita alte-

ailur

LIII 2

ra :


ra: tanta virtus non potest perire. Tibi time, si, quem DEUS tam singulari vinculo rapit sibi, tu retinere tibi adhuc laboras. Hoc dicit Dominus: *Abraham! tolle filium tuum primogenitum, quem diligis, Isaac, & offer in holocaustum!* Pater. Facilius adhortaris me, quam ipse faceres, si esses Pater. Deag. Jam non quaeritur, quid sit facile, sed quid te deceat. Patieris, ut filius plus amet DEUM, quam ames tu? Pater. Deagi, credebam hactenus, non esse in me nullum Amorem DEI: hodie experior, quod major sit amor mei. Quod digniorem se amore meo probavit filius modo, tanto pertinacius agglutinatur paternum cor, nec sine acerbissima violentia à me avelles. Deag. *Fortis est ut mors dilectio!* quam mors invito auferret filium, sine, ut dilectio volenti tollat: tollet autem, si fortis est. Si verò est imbecillis, eja! pudor, timor, spes adjiciant ligna foco, donec ita exardeat charitas, ut nulla flumina obruant, aut extinguant. Si Dux Sabaudia peteret Franciscum ad aulam sibi, gaudens à te dimitteres: & non pudet tritari cum DEO? neque times, Domine, ne, dum Divinae Providentiae consiliis temerè te opponis, te, & filium, & quotquot filii laboribus sacris donare DEUS constituit, animas in miseriam aeternam urgeas? si verò naturam vincis, spes est fore, ut DEUS utriusque merces sit magna nimis, & Abrahamicas benedictiones coelum in universam Familiam depluat. Pater. DEUS, homines, diabolus urgent me: omnia video. DEUS cor filii solus possidet: egone dividam? homines tot rationibus consilium Divinum probant, ut dubitandi facultas sublata sit: quousque luctor, & qua prudentia? diabolus terroribus horrendis instat, ut everteret resolutionem heroicam: & ego conatus Sathanicos adjuvem? .. Deagi, tumultibus pectus horrendis quatitur: intelligo, nisi DEO cedo, aeternum ab hoc animo pax exul erit. Cedam! fac, adsit juvenis! Deag. Plaudite victori fidera! ecce avolo. Pater. Cessavi Pater esse: erit deinceps DEUS! O qui dedisti Filium, Domine, tot titulis

tulis amabilem mihi, da veniam tam diu luctanti tecum, ne cogeres reddere! poteras cogere, malebas repetere, ut probares amorem meum! Eja habe! amavi te semper: hodie didici *amare fortiter!* habe filium tibi, & cum filio meas delicias, meas spes omnes habe! Prò vulnus cordis! jam talem video!

SCENA V.

Personæ omnes.

Franciscus. **V**ides Pater, qualem me DEUS vult! *Deag.* Accinctum ad prædam animarum, ad stragem errorum, ad ruinam impietatis. *Franc.* Ipsam lætitiã cum ista veste indui, Pater! evanuerunt timores tetri. Amor, dulcissimus Amor pacificè cor totum possidet: unum quieti verbum deest, quo dicas: *approbo!* *Pater.* Præmium amoris tui est hæc lætitiã: recordaris, quid dixeris? *Franc.* Idem adhuc est animus, & erit semper. Acquiesco Divinis de me decretis; si tamen scirem etiam, me inter reprobos esse, tantò magis contenderem, dum vita superest, *amare quamvis austerum DEUM,* quantò essem certior, quòd post mortem amplius amare non possem. *Mer.* O nobilis Amor! *Deag.* Hic Amor diabolum vicit! *Pater.* Et vincit Patrem. Accede fili! amplexum paternum cape! *Franc.* Benedictio paterna assensum firmet. *Pater.* Benedictio DEI Patris descendat super te, & super consilia tua, & super labores tuos! *Deag.* Et super Amorem, ut ardeat semper! *Pater.* Ardeat! & totam Sabaudiam eodem igne accendat! *Franc.* Fiat! ô fiat! *Omnes.* fiat!



LIII 3

MEDI-

MEDITATIO IV.

Diliges ex tota anima tua, *Marc. 12.*

S. FRANCISCUS BORGIA.

ARGUMENTUM.

Nihil amare SUPRA DEUM, ne quidem vitam, & animam suam, *primus gradus est Amoris effectivi*, ita necessarius, ut, nisi qui huc ascenderit, salutis spem habere non possit, eò quòd præceptum charitatis Amorem saltem *appretiativè* summum imperet, & ipsa Ratio doceat, quòd sicut bono *majori* amor *major*, ita *summo* bono amor *summus* debeatur. Hodie *in gradum secundum* enitimur, qui est, nihil diligere PRÆTER DEUM, atque adeò DEUM non solum *ex tota mente*, quod fit per appretiationem *intellectus*, sed etiam *ex tota anima* diligere, quod facit, qui insuper *appetitur* sic DEO consecrat, ut bonis creatis omnibùs privari ægrè non ferat, non solum si quando præceptum exigeret, sed etiam cum *majus DEI beneplacitum* suadet. Exemplum hujus Amoris heroicum S. Franciscus Borgia præbuit, qui licet jam esset sanctus in sæculo, cum inter primos ex aula Caroli V. serviret *homini propter DEUM*: defuncta uxore tamen, abdicatis omnibùs rebus & spebus, ex Duce Gandiæ factus est Religiosus, occultè primùm, deinde, postquam Ognati aliquamdiu delituit, donec licentiam Ducatus in filium transferendi à Cæsare obtinuit, publicè Institutum Societatis JESU professus, ut *DEO Soli* famularetur. Erit igitur hodiernæ Meditationis

Mate-

- Materia* : Actus abdicationis S. Francisci Borgiae.
- Puncta duo* : 1. Abdicationis propositum.
2. Propositi executio.
- Fructus*. Alter Amoris gradus : *nihil amemus PRÆTER DEUM.*
- Propositum* : Credamus fide serâ, quod fides docet : *nemo potest duobus dominis servire!* & : *non potestis DEO servire, & Mammonæ,* Matth. 6. adeoque cui bona terrena abjicere non est integrum in effectu, teneri saltem moderari affectum, qui sic quandoque rebus pereuntibus cor agglutinat, ut facile in illis comparandis, conservandis, augendis absorptum à cura DEI, & Divinorum abstrahatur.

PERSONÆ.

- S. Franciscus Borgia, in secessu Ognatensi.
- Carolus filius Borgiae Primogenitus.
- Joannes Secundo-Genitus.
- Araozius S. J. Sacerdos sub veste Clericali.
- Rogonus Comes Lerma, Borgiae Gener.
- Villalonus Borgiae à Secretis.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præsentem.

Fides. Ratio.
Ratio. Tandem per gratiæ auxilium
Huc eluctata sum.

Unde

Unde omnia despicio! ...
 Nihil, Amor mi, nihil amo SUPRA TE! ...
 Et quis à charitate hac separabit me?
 Eja! provoço: quis separabit me?

A R I A.

Munde, Caro, conjurate,
 Orcum quoque invocate,
 Explicate agmina,
 Intentate praelia!
 Si hoc vultis, ut peccando
 Cesssem vecors ab amando,
 Jubeo, vos desperare:
 Malo mori, quàm peccare!

Mori malo, quàm peccare!
 Hoc decretum salutare
 Sic inhæret pectori,
 Ut non possit eximi,
 Nisi cùm cor evelletur:
 Et tunc ipsum audietur
 Alta voce Cor clamare:
 Mori malo, quàm peccare!

Fides. Audio, neque displicet resolutio;
 Sed unde tibi plaudas, Soror, ego non video.
Malle mori, quàm peccare,
 Est denique *in infimo gradu* DEum amare,
 In quo si subsistere decrevisti,
Quod facere debuisti, fecisti,
 Et nihil ampliùs.
 Unde laudet te Dominus:
 Periisses, si minùs fecisses.

Nihil

Nihil SUPRA DEUM diligere
 Est, *in præcepti necessitate* quiescere.
 Tu assurge altiùs, quò trahit te
 Qui in cruce exaltatus est propter te.
 Nihil SUPRA TE dilexit:
 Sed neque PRÆTER TE
 Quidquam diligere voluit;
 Ideò OMNIA, quæ habuit, vendidit,
 Ut te emeret,
 Et scilicet EX TOTA ANIMA,
 Non ex divisa, diligeret.

Ratio. Ah! vel *in primo gradu* firmare se,
 Erat opus difficile;
 Promptus tamen est animus sequi te,
 Si viam excellentiorem
 Ostenderis ad Amorem.

Fides. Ascende gradum alterum!
 Hæc est hodierna lectio,
 Hæc Amoris perfectio.
 Ecce! SIC DEUS DILEXIT TE!
 SIC TÙ DEUM DILIGE.

A R I A.

Sic DEUS dilexit!
 (O aurea regula morum,
 O Amor, *exemplar amorum!*)
 Uni ut homini
 Totum se daret,
 Et quem amaverat,
 Totus amaret,
 Quidquid est extra se,
 Totum NEGLEXIT:

M m m m m

Sic

S. *Franciscus*

Sic DEus dilexit!
 O aurea regula morum!
 O Amor, *exemplar amorum!*

2.

Nempe ut fluvii, unde fluxerunt,
 Omnes IN IDEM se pelagus ferunt;
 Quin silvæ virentes,
 Aut horti florentes,
 Vel arces munitæ,
 Et urbes turritæ
 Moram injiciant,
 Alveum teneant:

Ita is denique verè amabit,
 UNI qui omnes Amores sacrabit.

Ratio. Optima lectio, & digna novo studio.
 O Amor! SICUT tu amasti me,
 SIC, da, ut amem te!
 Et PRÆTER TE nihil amem, nisi *propter te!* ...
 Eja anima mea! Amores divisos collige,
 UNUM dilige!

A R I A.

Una es: unus est DEus:
 Una uni debes te!
 Culpæ, & pænæ fit reus,
 Qui vel partem victimæ,
 Quæ DEO mactatur,
 Sibi furatur:
 Totam tu immola te,
 Unum dilige!

2. DEus

2.
 DEus est DEus zelotes :
 Iram gravem contra te
 Stulta incendere potes,
 Nisi totam tradas te :
 Amore fatali
 Favet *Rivali* :
 Perdet, ut vindicet se,
 Et illum, & te.

MEDITATIONIS IV.

De S. Francisco Borgia

PUNCTUM I.

ABDICATIONIS PROPOSITUM.

SCENA I.

Dux Borgia. Rogonus Lermæ Comes.

Borgia. **T**U obstupescis, Gener, quòd invisentem ad me in
 cubiculum introducam funereo apparatu triste ;
 sed nimirum hæc dies, quâ lectissimæ Conjugi anniversaria
 solemnitate soleo parentare ; justus dolor publicam memoriam
 exigit. *Rog.* Laudo pietatem, Socer, & gravis jactura longum
 luctum meretur. Fuit Eleonora, *Borg.* Omitte panegyrim !
 scio, quantum bonum amiserim : commune cum paucis perti-
 nebat ad me, cum illa viveret, elogium illud : *Mulieris bonæ*

M m m m 2

bea-

beatus vir! Eccl 26. Octo liberos ex illa suscepi, sanos omnes, formosos, ingenii tractabilis, bonæ spei, delictum Patris; annos decem supra octo conviximus pacificè: nunquam conjugalis amor friguit, quia, ut ducerem, non oris species, fragile bonum, sed virtus fæminæ, religio, prudentia, solertia, modestia, & fuga otii, atque ineptiarum, à quibus pleræque infatuantur, permoverunt. In observantia mariti, in cura liberorum, in familiæ regimine verè *Mulier fortis* illa fuit, quàm nullæ suæ conditionis molestiæ vicerunt, quò minùs officio strenuè fungeretur: *procul, & de ultimis finibus pretium ejus*, Prov. 31. Opto, ut filia mea Matris insistens vestigiis te similiter beatum faciat. *Rog.* Egrègiè æmulatur, & quàm verè laudaveris Eleonoram, in Isabella experior. *Borg.* Gaudeo: verùm tu audi porrò, Rogone, quod non immeritò admireris. Talis cùm esset uxor, calentissimis precibus pro ægotantis salute Domino supplicabam, & ecce! quasi vox de cœlo illapsa cordi dicebat intùs: *Si vis, sanabitur: sed tibi non prodest!* *Rog.* Omnino rem miram audio. *Borg.* Itaque ego orare, & illa cessavit vivere. Jam quem tu fructum credis, quòd ista mors attulerit? *Rog.* Difficilis conjectura est: quid boni ex malo judicem? *Borg.* Quod vitibus luxuriantibus culter præstat: putatæ uberius germinant. Jam olim, cùm ad Isabellæ tumbam fætentem vanitatem inspexi, constitui SERVIRE DOMINO, QUI MORI NON POTEST, omniâque peritura fastidians votum concepì expedienti me à vinculis sæculi, si, quæ vinciebat, uxor soluta ante me à vinculis mortalitatis fuisset. *Rog.* Insolens factum! præproperus fervor suggessit inconsultum consilium: facilè erit reperire, qui ab obligatione te solvat. *Borg.* Atqui ego arctius ligari cupio, non solvi. Conditionem voti implevit DEUS, uxorem abstulit, ad vitæ perfectioris genus per mortem vocavit. Vult à me SOLUS amari, quin præter ipsum aliud amem: hic fructus cessasset, si uxor mihi supervivisset. Intelligis jam, Rogone!, sensum

sensum Divini oraculi : *Si vis, sanabitur ; sed tibi non prodest ?* debuit mori Eleonora , ut Borgia sanctius viveret. *Rog.* Amorem igitur , quò uxorem amabas , *displicuisse* Numini est opinio tibi ? *Borg.* Nihil hoc metuo quidem : nunquam enim amabam Mulierem aut *contra* , aut *supra DEum* : semper & *modus Amoris* , & *motiva* honesta fuerunt , sanæque rationi conformia ; sed qui **NON DISPLICUI** amando *aliquid* præter DEum , jam præter DEum jubeor amare *nihil* , ut **MAGIS** placeam. Verum est , quod dixit Apostolus **1. Cor. 7.** *Qui cum uxore est , sollicitus est , quæ sunt mundi , quomodo placeat uxori , & DIVISUS EST :* non amat DEum **EX TOTA ANIMA** : affectionis *partem* uxor postulat sibi : Amor *divisus* autem quòd sit minus perfectus , quàm *integer* , neque tu negabis , credo , atque admittes adeò , quòd si , cum illa vixit , implevi præceptum Amoris *quoad essentiam* , ad *perfectionem* tamen aspirare vix , ac ne vix quidem potuerim. *Rog.* Dux optime , tu acutiùs pervides , quæ ad Spiritum pertinent ; sine tamen , ut aliquid opponam discursui. Est fluvius , qui alveò *nunquam diviso* rectà in mare influit ; & est alius , qui *per complures rivulos* *dispertiens se* , tandem omnes effundit in idem pelagus : nunquid uterque *totum se* mari denique , unde venerat , reddit ? *Borg.* Vis dicere : similiter posse Amores nostros , *præter DEum* , varias creaturas complecti , modò illæ postremò *propter DEum* amentur : & verum dicis ; sed quod sit fluvio per alveos diversos vago , nempe ut jam rivulus ab arenis sorbeatur , jam alius tumuletur in cæno , & tertius fordido lacui commisceatur , sic ut aut nulla , aut modica aqua , eaque inquinata , præcipuè si via sit longior , & multis ambagibus varia , deferatur ad mare : idem nobis in statu conjugali contingit. In uxoris , in liberorum , in familiæ curam , commoda , gloriam divisi amores sensim à **DEO** deflectunt , aliosque *affectio naturalis* sibi retinet , alios etiam *vitiosa* corrumpit , adeò , ut non raro periculum grave se moveat , ne etiam *præcepti substantia* labem

patiat. Certè primum hominem amor uxoris initiò *honestus* utique, sed postea NIMIUS sic *ab Amore DEI* abstraxit, ut non solum *præter*, sed etiam *supra DEUM* Mulierem diligeret. Sed ut disputationis sit finis, hoc certum est, Rogone, quòd amor creaturæ etiam, qui *honestissimus* est, si DIVINUS non est, dividat animam, partemque DEO auferat. *Sed non omnes capiunt verbum hoc*, verbum, puto, quod dixit Dominus, cum dixit Matth. 19. *Si vis perfectus esse*, relinquenda sunt omnia: Dominus, Fratres, Sorores, Pater, Mater, Filii, Uxor, agri, ut rivi Amoris omnes cogantur in unum alveum, qui toto impetu se in oceanum Divinitatis evolvat. *Ad hanc perfectionem* me DEUS invitat; sustulit impedimentum: uxorem eripuit: jucundus est dolor! requiesce in pace, Eleonora! nunquam amavi te purius, quàm cum *in DEO* amo, & unice *propter DEUM!* Eja! turedis, Villalone! bonus es nuntius?

S C E N A II.

Borgia. Rogonus. Villalonus.

Villalonus. **E**X voto: clementissimè annuit Cæsar, & gratulatur, testem epistolam fero. *Borg.* Jo! *dirupisti, Domine, vincula mea! tibi sacrificabo hostiam laudis!* Psalm. 115. Jam nihil obstat, quòd minùs hodie in crucis amplexum evolem. *Rog.* Venire in partem gaudii Rogono licet? *Borg.* Quid dubitas? cæcus es, Amice, si nondum vides, quantum me DEUS amet. Ecce! facilis ad preces Cæsar facultatem concedit abdicandi me Principatu, & quam velim, Religionem profitendi palàm: hoc argumentum est jubili, quò exulto. *Rog.* Igitur res ferio agitur? & tu non vides, Princeps, quam communi risui per hoc consilium te Aulæ, Hispaniæ, Orbi prostituas? *Borg.* Ecce, hoc est, quod monet Cæsar: *Plures, Dux Borgia, tui consilii derisores, quàm imitatores habebis!* & tu non vides, Gener, quòd
risum

rifum rifu facillimè vincat Borgia? *Rog.* Grandis Hispaniæ, Dux Gandiæ, Dominus Lamboiæ, duorum Pontificum confanguineus, Roderici, & Henrici Cardinalium frater germanus, Ferdinandi Catholici Regis Arragoniæ nepos, Equestris Ordinis S. Jacobi Commendator, Vice-Rex Catalauniæ, Augustiffimi Cæfaris Caroli V. supremus stabuli Præfectus, summo Monarchæ gratiosus, honoribus, opibus, liberis dives, inter primos potens, charus subditis, per omnia felix, mundi Salapufius. *Borg.* Adde: FUIT! & fcripifti Epitaphium. *Rog.* Addo: erit Religiofus! quæ combinatio? *Borg.* DEUS & CRUX! quæ combinatio? Rogone, qui homines sunt, qui Borgiam *pro DEO* fe abdicâffe Principatu mirabuntur, & DEUM *pro homine* descendiffè de cœlo non mirantur. *Rog.* Providere liberis, de familiæ splendore curare, Cæfaris gratiâ *pro fuis* uti, fi *pro fe* nolit, hoc Borgiam decet. *Borg.* Quod herat Patris, abundè præftiti: cætera vos agite. Carnem & sanguinem jam non audio: apud DEUM fi utilem vobis operam præftare poffum, præftò ero; apud terrenum Principem egi fatiſ: diu nimiùm vixi meis, nunc mihi vivam. *Rog.* Et filii nullas propofito opponent preces? Ego, Princeps, armatos in te immittam.

S C E N A III.

Borgia. Villalonus.

Borgia. **Æ**S triplex obarmat pectus contra amores teneros. Tu age, narra! quo vultu, quò animo Cæfar Borgiæ vota legit? *Vill.* Miratus confilii novitatem laudavit Divinam Providentiam, illis temporibùs tanti viri acceffione statum Religiofum ornantis in Hispania, quibùs in Germania à viliffimis homulis paffim defereretur. *Borg.* Amor licentiæ, non Amor DEI ad sæculum retrahit: ô fi amarent miseri DEUM, præter quem nihil amabile eft, quàm facile onus ferrent, quàm
fuave

suave jugum. *Vill.* Addidit deinde : omnino probari sibi, quod
 servire malis DOMINO, QUI MORI NON POTEST,
 quàm ei, qui hodie est, & cras non comparet; seipsum perspicere
 rerum humanarum vanitatem, quippe habentium nihil, unde
 placere sapientibus possint, præter auri streperi miserum fulgo-
 rem, à quo viles animæ rapiantur. Majestatis futilem pompam
 quò diutiùs ostentaret, eò vehementiùs fastidire se, adeò ut
 exemplum Borgiæ parùm absit, quin imitationis cupidinem in
 se accenderet. *Borg.* Precor optimo Cæsari *meam* felicitatem :
 majorem *pro hac vita* precari non possum. *Vill.* Aliorum alius
 sensus est. *Borg.* Sed minimè verus sensus. Villalone, vitæ
 præsentis felicitas *extra nos* frustra quæritur : *nunquam enim, &*
nusquam inveniemus, quod fatiet. *Vill.* Atque ita semper in-
 quieti erimus ; nunquam quiescit enim, qui semper quærit, &
 nunquam invenit : vera Philosophia est. *Borg.* Erit igitur sa-
 pientis, quod non potest reperiri extra se, quærerè *intra se* : &
 sanè INTRANOS reperiri felicitas potest illa ipsa ferè, qua felix
 Adamus in statu primæ innocentie fuit. Beatum primum ho-
 minem PAX CORDIS fecit : pax illa fuit TRANQUILLITAS
 ORDINIS, per quem *affectus Rationi, & Ratio DEI præceptis,*
ac voluntati sine venientia subjiciebatur. *Vill.* Sine dubio ; nam
 cum hoc ordine pax interna, externaque, & cum pace felicitas
 finem habuit. *Borg.* Optimè advertis. Sed *pax externa*, quam
 pariebat obedientia creaturarum, hominis rationabili voluntati
 per omnia parentium, privilegium erat, quod DEUS in pœnam
 peccati primi perpetuò sustulit : *pax interna* verò est filia gratiæ,
 quam Christus promeruit nobis ; gratiæ si cooperemur, *Regnum*
DEI intra nos erit, Luc. 21. Atque in hoc regno *justitia, & pax, &*
gaudium in Spiritu Sancto, Rom. 14. quia nempe in statum primæ
 innocentie reponemur, restitueturque illa *tranquillitas ordinis*,
 quæ illius statûs *felicitatem internam* conficiebat. *Vill.* Nunquam
 tam jucundæ doctrinæ fundum ita clarè inspexi. Erunt tamen,
 opi-

opinor, qui negant, quòd illa *tranquillitas ordinis interni*, sive *pax cordis*, in qua præsens felicitas consistit, stabilis esse post lapsum possit. *Borg.* Non perspicit gratiæ nostram industriam juvantis vim, qui hoc negat. Quòd subinde ad momentum excitatura aliquem tumultum sit aliqua cupido, spes, tristitia, formido, ira, & quæ sunt aliæ affectiones de fæce plebis, non diffitebor; sed tu si audias fortè latratum canum in foro infestis dentibus in se mutuò sævientium, aut videas rixantes lixas, num idè civitatis pacem dices turbatam esse? *Vill.* Utique injuriam facerem; sed si passim, si diu, si impunè viderem cives obstrepere legibus, *nullòque ordine*, qui sanæ Politicæ est anima, exerceri commercia, agi lites, constitui tribunalia, distribui munera, intendi pænas, administrari justitiam: tum dicam, exulare pacem, & me in Babylonia vivere. *Borg.* Idem igitur de pace animi judica; & ecce! jam punctum tangimus: *pax animi* unde, nisi *per affectus*, turbatur? & affectuum princeps nunquid est Amor? *Vill.* Experior. *Borg.* Igitur si Amor Rationi parer, & Ratio DEO, jam in statu primæ innocentie vivo, jam ordo est, tranquillitas est, quanta esse viatoris potest, felicitas est: concludo, quòd si abjecto amore *mei*, & amore *meorum*, post-hac nihil sit, quod amem, *prater DEum solum*, nihil etiam futurum sit deinceps, quod turbet: beatus ero. *Vill.* Princeps, sic me tuus fervor incendit, ut parùm absit, quin insistere vestigiis, si spes sit, velim. *Borg.* DEO supplica, ut te vocet. Ecce Araozius intrat, cui potestas est ab Ignatio faciendi, ut fratres simus.

S C E N A IV.

Borgia. Araozius. Villalonus.

Araozius. **P**Rinceps! *Borg.* Araozii, en! manumissus sum. *Ar.*
Scio omnia: sed turbavit aulam Rogonus; pugnandum
Nnnnn
dum

dum cum tuis erit. *Borg.* Non erit pugnandum diu; tu para vestem Borgiæ, quam donavit Ignatius: gestit animus abjicere hæc parerga: hodie Christum induam. Tu Villalone festina! jube aulam se parare itineri: hodie filii redibunt in Gandiam: ego felicitatis initium ab amore solitudinis faciam. *Vill.* O si focium Villalonum admittas, Princeps! *Borg.* Dixi: ad Araozium hæc cura pertinet. Quod volui, facite: ego, donec accincti sint itineri omnes, neminem ad me admittam, ne filium quidem. Araozi, sentio, quòd nondum mortuus PATER fuerit; in ultimum amplexum pruriunt brachia, sed cor abhorret: orandum est! *reliquias Amoris*, quem sola natura peperit, oratio enecet. Includo me, & ne quis turbet, obduco pessulum; cum erit tempus, tu me monebis. *Ar.* Juvet te coelum, Princeps! *Vill.* Et tu, Pater, juva me, ut, quò præcedit herus, famulus sequi possit. *Ar.* Hoc oras tu? *Vill.* Ut comitem Dux habeat, velis, obsecro. *Ar.* Erit dies, cum probabimus & istum Spiritum, num sit à DEO; nunc exequere, Villalone, quæ Princeps jussit, ne quid moretur ardorem Spiritûs. *Vill.* Ecce eo! *Ar.* Ego quoque res meas agam. O dies gloriosa tibi, Divine Amor! nam dubito, an detur Sanctus, quem mundus magis honoravit, & qui mundum magis contempsit. Borgiæ mundus dedit, quidquid bonorum habet, opes, delicias, honores, titulos, favores, gloriam, & quid non? adde, quòd sic blanditus sit, ut nunquam afflixerit, ne propter virtutem quidem; plus dicam: quam in aliis Sanctis semper vel risu, vel contemptu, vel dicteris, vel injuriis persequi solet probitatem, in Borgia sic veneratus est, ut eum MIRACULUM PRINCIPUM vulgato encomiò appellaverit, imò virum Laicum velut insultans Religiosis pro speculo proposuerit, in quo orationis summæ, & mortificationis perpetuæ exempla intuerentur, discerentque, etiam vitam aulicam posse cum Sanctitate componi. Hic talis mundum contemnit, & contemnit, non quia à mundo contemnitur,

tur,

tur, sed quia honoratur; non quia mundus se opponit exercitiis sanctitatis, sed quia non satis adjuvat; non quia in mundo Sanctus esse non potest, sed ut in Religione sanctior fiat. Contemnit, nec dici potest, contemnere per impetum juvenilem, coactus per infortunia, conscientiae cauteriatæ stimulis incitatus: est septem supra triginta annorum vir, est felix per omnia, nec habet, unde metuat casum: est innocens, & à sæculi vitiis totò animò alienus: denique ita contemnit mundum vir primæ nobilitatis, ut volens, & prudens inter tot Religiones ætate, sapientia, virtute illustribus viris celeberrimas, nullam sibi velit, sed eligat novissimam, heri natam, vix adhuc notam de nomine, & quibus nota est, plerisque vilem, invisam, nullam. O dies gloriofa Divino Amori! ita Amor sancte, ita cor Borgiæ totum vindicasti tibi, ut nulla particula mundo supersit, quantisvis illecebris lenocinanti!

S C E N A V.

Araozius. Carolus. Joannes. Rogonus.

Carolus. **A**Raozi, quod malum audio: tu Patrem eripies nobis? *Ar.* DEUS, ò Principes, DEUS ad suam MAJOREM GLORIAM Borgiam sibi postulat. *Rog.* Consuetò pallio tegit nequitiam homo: cavete, ne filios cum Patre rapiat; artem piscandi callet. *Ar.* Ut essem piscator hominum, Dominus jussit: fungi officio Rogonus prohibet: *Jo.* Ego certè non mordebo hamum tibi. Sed quid tricamur? irrumpamus ad Patrem Frater: precibus & lacrymis revocandus est à proposito, priusquam firmetur pectus in contumaciam. *Ar.* Orat! *Car.* Scimus, propterea, ne peccemus contra reverentiam, non auesim turbare Frater: expectemus patienter, dum ipse prodeat. *Jo.* Impatiens sum; tamen, quoniam ita judicas, Carole, acquiesco. Interea Araozium oppugnemus: ipse si noster erit, etiam

Nnnnn 2

erit

erit Pater. *Car.* Rectè putas. Ecce autem tu non sis noster? quòd DEus vocet Borgiam, tu prædicas: atqui Pater est, & ego ex jure naturæ didici, teneri Patrem liberis providere; erit igitur tuum suadere moram saltem, donec officio satisfecerit. *Ar.* Princeps, jam quatuor fluxerunt anni à luctuosa morte illustrissimæ Matris: jam tunc in crucis osculum pruriebant Patri labia: fixisset se, nisi de paterna obligatione monuisset Ignatius. Interea geminis filiabus de opulento matrimonio prospexit Patrens, tertia Divæ Claræ habitum sibi delegit, tibi quoque primogenito suo jam ætatem à legibus requisitam adepto Sponsam te dignam designavit, Ducatum, & jura sua omnia tradet hodie, & curam Fratrum reliquorum sub Generorum tutela sollicitè commendabit: quid adhuc habet, quod curet? non licebit Patri in humeros filii jam maturi, atque per sapientiam potentium Generorum sustentandi transferre curarum partem? non filius tenetur, cùm Pater ante tempus rebus se suis privat, post acceptum patrimonium unà cum commodis admittere onera, & portare? *Car.* Nec hoc, nec illud persuades, ut velim: nondum sic crevit Hercules, ut succollare Atlanti possit. Præterea adhuc liber sum, Araozi, & tu non nescis, quòd amem vos, quos amat Pater. Quis scit, si detur mora, an non virtute supera commotus animus olim me illuc trahat, quòd Pater trahitur. *Rog.* Quid audio? *Jo.* Ridiculum te facis, Frater! & quis impetus agit? *Ar.* Felix est impetus, quem coelum imprimit! *Car.* Felix, quem DEus vocat ex mari in portum, ex ambagibus in viam regiam, ex mancipatu mundi in libertatem filiorum! Borgiæ hoc judicium est: ridicula tibi, Frater, sapientia Patris videtur, sapientia ætate firmata, per rerum ulum probata, in summis aulae officiis conspicua, à sapientissimo Cæsare tot laudibus celebrata? *Rog.* Dic: Sapientia in hoc certè argumento heteroclitica, solitaria, contraria sensui communi omnium ferè hominum. *Car.* Ecce hoc argumentum est, quod ab eo
tem-

tempore, quò Imperatricis funus inspexit Borgia, explodendum esse centies facillè mihi inculcavit. Carole, dicebat mihi: veniet dies, cum eris hæres omnium, quæ Borgia possidet. *Communi sensu* videor hominibus felix; sed crede mihi, SENSUS COMMUNIS fallit: in rebus fluxis beatitudo vera non potest quærì: sentire, & vivere *cum paucis* aſueſce, quia *pauci electi* sunt. Diſce contemnere peritura! CONTEMPTUS facit, ut, ſi te vocet DEUS ad relinquenda omnia propter ſe, promptè obedias invitanti: ſi non vocet, ſaltem *non appones cor* miſeris bonis, quæ præter boni nomen nihil habent, niſi *per bonum uſum* te bonum faciant. Rog. Mentior, niſi iſte virus, quod Parens potavit, jam etiam propinaverit filio; ſic enim Principes non ſolent loqui. Ar. Sic tamen loquitur Borgia MIRACULUM PRINCIPUM! Car. Neque ego virus, Cognate, à Patre hauſi, ſed doctrinam veram, ſolidam, utilem, quæ ſi animo penitiùs inſidet, etiam in ſæculo Sanctum facit. Ar. Et fecit Borgia; nam ex contemptu rerum præſentium nata eſt mirabilis ſapientia, qua vir in aula educatus conjunxit honores cum modestia, divitias cum temperantia, libertatem cum innocentia. Rog. Idem ergò doce, ut Carolus faciat: quid opus eſt, ſtatum mutare? Jo. Poſteà ego divitem uxorem ducam! Car. Et deinde? Jo. Deinde Patronis, & clientelis auctior promovebor ad prima aulae ſubſellia. Car. Et poſteà? Jo. Inclareſcere titulis laborabo, & domum Borgiam novis ſplendoribus illuſtrare. Car. Deinde? Jo. Sic in rerum omnium abundantia, inter liberorum, ac nepotum amplexus conſeneſcam. Car. Et denique? . . . nempe morieris, mi Frater, & quid ex his reculis, quas enumerãſti, morienti ſolatium feret? Jo. Communis neceſſitas eſt, à qua nemo eximitur. Car. Sed neceſſitas, quæ *contra communem ſenſum*, quàm ſint vilia terræ bona, vel cæcis demonſtrat. Novum argumentum habes Araozi, quod moveat, ut moram in executione conſilii Borgiae imperes; nam ſcio, imperare quòd poſſis, poſt-

Nnnn 3

quam

quàm se ille pro Ignatio tibi subjecit. Vides, quòd uterque diu-
 tiùs Patris disciplinà indigeat : ego ut spiritum salutis perfectè
 parturiam : iste, quia adhuc *sensui communi* adhæret, parùmque
 ab exemplis, ac monitis paternis profecit. *Rog.* Profectò nisi
 ego oppono me, manebit cum Borgia uterque filius, & tu Ca-
 role videris velle Joannem trahere. Itaque ego ipse urgebo iter,
 nec longiùs cum Patre eritis. Araozi, non ut tu vis, ita erit :
 sit tuus Borgia, filii non erunt tui. *Ar.* Domine, vides, me
 nihil agere : agere autem si DEUS velit, num te oppones ? *Jo.*
 Certè ego sensum DEI non habeo. Si tamen Carolus suis bo-
 nis non cesserit mihi, credam altaribus me destinari, sed inter
 Canonicos & Præsules : Pedum & mitra placet, aurò, gemmìs-
 que fulgens. *Rog.* Rectè divinas; nam lata frons, altus vertex,
 grandes oculi, os rotundum, gravis facies, & amœnùm severa
 promittunt idem. In te autem, Princeps Carole, grande super-
 cilium, succus oris, nasus aquilinus, & modesta majestas tru-
 cioris aspectùs quid loquuntur, nisi virum aulis & curiis natum?
 Talenta, quibùs te DEUS ditavit, non debent bono publico sub-
 trahi. *Car.* Metuo, ne injuriam viris religiosis loquaris, Cognate;
 hoc enim videris velle, ut illi in Monasteria se abdant soli,
 qui aliàs mundo parùm utiles forent. *Rog.* Ita opinio est. *Car.*
 Error est. An non enim, si cives probè Catholicos, si bonos
 Sacerdotes, si viros habemus doctrinæ, & virtutis studiosos,
 eos magnam partem Religiosis debemus? itaque etiam Religiosi
 bono reipublicæ serviunt. Certè hoc expectamus, exigimus.
 Hinc, si qui ad concionem dicit, ineptus, qui à confessionibus
 est nobis, indoctus, qui docet in scholis, imperitus est, queri-
 mur, murmur fit, & sæpè contumelia. Oratores disertos, Do-
 ctiores sapientes, prudentes Judices volumus: quo jure, quaspè,
 si non, nisi hebetes homines, & bardos Monasteriis damus?
Jo. Accipiant homines de plebe, nullius nobilitatis, modicæ
 fortunæ: invenient aptos: pro divite & nobili cella non est. *Ar.*
 Magnà

Magnâ DEum gloriâ, magnis ornamentis Ecclesiam, magnis bonis universum orbem spoliât, qui divites & nobiles Monasteriis adimit. Etiam pro his consilia Evangelica dedit Servator noster: etiam his præter centuplum, promisit vitam æternam, si vendant sua, & pauperibus tribuant. Itaque dives, an pauper, nobilis, an de plebe sit, qui Religionem amplectitur, non est quærendum: an à DEO vocatus sit, hoc est quærendum. Rog. Et probandum. Sed en! Dux prodit.

S C E N A VI.

Borgia. Carolus. Joannes. Araozius. Rogonus.

Borgia. Q Uos video? Car. Dux! Jo. Pater! Borg. Sic meis filii mandatis obediunt? abi caro, & sanguis! negotium Divinum ago: cum Araozio res est mihi. Araozius. Præstò sum. Borgia. Et tibi, Gener, quod loquar, habeo. Vos cum parati ad iter eritis, admittam ad manûs osculum, & postremo amplexu stringam: nisi vocati, non comparebitis. Jo. Durum imperium! quid facimus? Car. Parendum est.

C H O R U S.

Stultitia animæ aliquid præter DEUM amantis!

Cosniander. Tres Mundi Ephebi. Amor Divinus.

Cosm. * S Apis, Machiavelle, sapis, & tecum sentio! * Legens.
 Lego sententiam tuo dignam ingenio:
 Soli DEO servire, est Monachorum:
 Soli Mundo, est impiorum:
 Nec DEO, nec Alundo, est insanorum,

DEO)

DEO simul, & Mundo, est Politicorum.
Prudentissimè.

Confirmor in proposito :

DEO, & MUNDO servio!

A R I A.

1.

Ut, dum vivo, bene sit,

MUNDO indigeo:

Ne post mortem male sit,

DEO indigeo:

Utrique vitæ consulo,

Si servio

Utrique Domino:

Sapio!

2.

Munde juva! te honoro!

Tu es Deus temporis!

DEUS juva! te adoro,

Ut post tempus clemens sis!

BONOS ô! experiar!

Ita vivam bene:

Ita bene moriar,

Et BIS erit bene!

Epheb. 1. Cosmiander! villam quam emisti,

Creditores sibi impetrarunt à Principe:

Juberis acquiescere sententiæ;

Nisi feceris, gratiâ excidis.

Epheb. 2. Cosmiander! quinque juga boum,

Quæ nuper tibi vendidit,

Iterum sibi vicinus repetiit.

Dixit: indigeo: debuimus commodare,

Et

Et tu juberis injuriam dissimulare,
Nisi velis potentioŕem adversum te irritare.

Ephēb. 3. Cosmiander ! uxor, quam duxisti,
Vestem artis novissimæ vidit in socia;
Jubet, ut similem sibi compares,
Etsi necesse sit contrahere debita.
Nisi assenseris :
Juravit, quod nunquam amplius
Ridentem visurus sis.

Amor Dei. Cosmiander ! ad Coenam magnam
Invitat te CÆLI DOMINUS.

Parata jam sunt omnia:

Juberis properare,
Et in veste nuptiali festum ornare.

Cosmiand. Vah ! aures obtunditis,
Et animum obruitis tot imperiis !

Amor Dei. Hoc dicit Dominus : Ego sum Dominus :

Et non est alius, præter me :

Cui præ cæteris obedire debeas,

Potes ambigere ?

Ephēb. 1. Coenam nunc accedere,

Non est de tempore :

Res postulat, ut Principi satisfacias,

Et cum creditoribus transigas.

Ephēb. 2. Ut periclitanti Oeconomix consulas,

Et celeriter boves tuos recipias.

Ephēb. 3. Et ante omnia, ut soleris uxorem,

Neque per moram conjicias in mœrorem.

A R I A.

Morantem increpabit :

SIC AMAS ! .. exclamabit :

Ooooo

Heu !

S. Franciscus

Heu! decepta sum! *Et tu iudex iudicatus*
 Credebam, virum strenuum *Nil velis*

Duxisse me: decepta sum! *Contemderet*

Heu! duxi rusticum! *Vestem aris non*

SIC AMAS! *geminabit*

Et planget, & plorabit, *Nil allentis*

Et fremens misera, *Intavit, quod*

Quis, dicet, viri stolidi *Ridentem virum*

Quis improbet, si capiti *Contemderet*

Affigam cornua? *Contemderet*

Cosmiander. Ad Coenam magnam, ô bone,

Ad quam venisti me invitatum, *Jubens prop-*

(Vides, quot curis impediar!) *Et in vest-*

Non possum venire: *Vah! aures obtundis*

Rogo te, habè me excusatum! *Et animum obr-*

A R I E T T A.

Tres Ephebi.

I, curre, propera! *Cui prae ceteris*

In mora est periculum, *Potes audire*

Cùm MUNDUS imperat: *Coenam d-*

De Coena te sollicitum *Non est de temp-*

Ut vesper habeat, *Res postulat, ut*

Sit cura proxima: *Et cum creditur*

I, curre, propera! * *Abeunt.*

Amor Dei. Axioma impium!

Sic curæ hujus sæculi *Et ante omnia*

Suffocant curam animi. *Necque per moram*

Atqui hoc est verbum Domini:

Querite Regnum DEI primum, & ante omnia,

Et: Nolite esse solliciti,

Adjicientur cætera.

Quid

Quid cor dividitis? quid curis angitis?
Nemo servire potest duobus Dominis
Inter se contrariis.

A R I A.

I.

Ridicula, fuitiles curæ!
Duplica, triplica tuos labores,
Sanguineos funde sudores:
Age! an cubitum
Potes vel unicum
Adjicere tuæ staturæ?
Ah! speras in mendacio;
Invito MUNDI DOMINO
MUNDUS beatum non faciet te.

2.

Non displicet mihi conatus:
Labora, ut vivas, ut crescas,
Ut unâ cum tuis ditescas;
Fructum si unice
Speras à Numine,
Et bonus est labor, & gratus.
Sed terram licet excolas:
Ut tamen fruges colligas,
CÆLO, non terræ, da supplicem te.

Cosmiander. Prô! infelicem me! *
Rejectus sum à Principe,
A vicino derisus,
Uxori invisus:
Quò verto me?

* Rediens.

Ooooo 2

Amor

Amor Dei. Ecce! hi sunt Dii tui! huc verte te; *
Surgent, & opitulabuntur utique! ...
Cosmiander. Ah! oculos habent, & non vident,
Aures, & non audiunt me!

* Fanum Deorum
Mundi,
qui sunt Gra-
tia, Fortuna,
Mammon.

A R I A.

Vana, inania

Ruite Numina! * Evertit status.

Machiavellica

Peri prudentia! * Calcat librum.

Una in uno

Est Numine spes!

DEus, da veniam:

Damno stultitiam!

Præter te alium

Colui Dominum:

Atrox! horrenda!

Sacrilega res!

Amor Dei. Intelligo: intellectum dedit vexatio.

Perge (sic sapis) perge

Ab idolis cor tuum purgare,

Et uni DEO parare

Ah! erratis, qui duas in partes claudicatis:

Erratis, qui putatis,

Quòd duo sint Domini,

Unus temporis, alter eternitatis.

A R I A.

Unus est Dominus:

Unum amate!

Bona vitæ gemine

Ab uno expectate!

Qui

Qui duobus serviunt,

Neutri satisfaciunt,

Et denique

A Mundo deseruntur,

A DEO puniuntur!

PUNCTUM II.

PROPOSITI EXECUTIO.

SCENA I.

Borgia. Rogonus. Araozius.

Borgia. Absolvi: & tandem, quod spero, intellexisti, Rogo-
A ne, quàm magnam gratiam mihi faciat Dominus, cum in suam me Familiam vocat. Synopsin omnium, quæ dixi, repeto paucis, ut habeas, unde defendas Borgia[m] contra Zoilos, qui *quæcunque ignorant, blasphemant.* Rog. Multis argumentis causam tueris, Princeps; ego tamen nondum comprehendendo, quid sibi velit toties repetitum apophtegma: **VOLO SERVIRE DOMINO, QUI MORI NON POTEST!** per DEUM! non igitur serviebas DEO, cum serviebas homini **PROPTER DEUM?** Borg. Etiam huic difficultati jam satisfeceram, si percepisses: attende modò. **FINIS**, propter quem vivo, est *servire DEO* in hac vita, ut *frui DEO* in altera liceat: non hoc intelligis tandem? Rog. Bardus sim, si nesciam, cur homo sim. Borg. Itaque homo sum, *ut servus sim DEI mei.* Porro servorum duo sunt genera, boni, & mali servi. Rog. Quis hoc ignorat? Borg. Malos dicimus, qui aut non obediunt, aut negligenter obediunt; bonos, qui ab utroque vitio immunes sunt. Rog. Palpari manibûs hæc veritas potest. Borg. Et inter bonos, quò

Ooooo 3

quis

quis est *melior servus*, hoc erit gratior Domino, nunquid? *Rog.* Quis sapiens neget? *Borg.* Et quò quis est gratior Domino, eò erit in conditione servi felicior, præcipuè si Domino serviat, quò melior optari non potest: fortasse hoc negas? *Rog.* Meras evidencias loqueris. Sed status quæstionis in hoc versatur, uter sit DEI servus melior, qui *DEO soli* servit, an qui homini *propter DEUM*? hoc ut definias, velim, *Borg.* Jam ipse Dominus definivit: *si vis ad vitam ingredi*, inquit, *serva mandata*: ita eris **BONUS SERVUS**: sed *si vis PERFECTUS esse*, vade, vende omnia, *sequere me*! quanquam quid opus est oraculis, cum Ratio loquitur: dic, si tres servi sint tibi, quorum unus sollicitè cavet, ne ita offendat te, ut mereatur domò ejici, aliud nihil curat; alter prætereà attendit, ne ad iram te concitet vel per parvos errores; tertius verò non contentus est observare præcepta, etiam consilia audit, non metuit displicere solùm, etiam placere contendit, non modò quod jubes, exequitur sedulo, atque alacriter, etiam nutibus invigilat: age, quis trium est melior servus, quis gratior tibi? *Rog.* Sentio stringi me. *Borg.* Arctius stringam. Est, qui *propter te*, **QUIA** tu jusseras, & **UT** tibi placeret, aliquot annis Oeonomo tuo diligenter servivit in mediastini officio; tu hominis solertià captus invitans, ut dimisso famulatu Oeonomi esse velit à cubiculis tibi, cessetque agere **SERVUM SERVI**, & servus **SOLIUS DOMINI** fiat, non ei honorem facis? non gratiam offers? non, si ille acceptare renueret, eò quò amet Oeonomum, concluderes, falsò jactasse, quòd Oeonomo serviat *propter te*? *Rog.* Facilis applicatio est. Vis dicere: Principes nostri Oeonomi DEI sunt: *Servus Servi* est, qui illis servit, etiamsi serviat propter DEUM, *Borg.* Ita est: DEUS autem ab hac servitute liberum vult me **SIBI SOLI** servire; non me honorat? & si invitantem audire nolum, non se manifestè proderet prava intentio, quòd Cæsari hætenus non *propter DEUM*, sed propter me, propter meos, propter

pter nugas servierim? Absit! vocas me, DEUS mi; ecce venio!
 melius est esse servum solius Domini, quam esse servum servi propter
 Dominum: eligo, quod est melius, quia eligendi potestatem Domi-
 nus fecit, cum invitavit. Rogone, hæc ratio propositi est: pro-
 betur mundo, an non probetur, nulla me cura angit. Rog.
 Omnino vicisti, Socer! video, me talpam fuisse, quæ caelestem
 Sapienciam non pervidit. Ar. Nimirum in fundo, non in su-
 perficie se veritas exhibet, propterea ipsa monuit: nolite judicare
 secundum faciem, sed justum judicium judicate, Jo. 7. Borg. Ita, ju-
 stum judicium conforme judicio tuo, DEUS, qui solus in judi-
 cando errare non potes; justum inter æterna, & pereuntia judi-
 cium judicemus! Et tu quid affers?

S C E N A II.

Personæ omnes. Villalonus, Dux, Carolus, Joannes, Franciscus, Gessavi.
 Villalonus. Dux magne, parati ad iter filii, sicut præceperas,
 expectant nutum. Borg. Quò animò sunt? Vill.
 Curarum pleno. Vix visos antè, velut si alieni essent, à te re-
 puleras, hoc affligit. Borg. Solabor: adesse jube. Ultimus actus
 superest: pugnandum amori paterno erit. Irrue Divine Amor! ex-
 pelle, quidquid teneritudinis adhuc in fibris latitat: totum occide
 Patrem! Arroz. Dignum spectatore DEO theatrum habes: acto-
 res intrant. Rog. Tragœdiam dabunt. Borg. Salve Dux Gandiæ,
 Lamboiæ Marchio! nam filium abdicavi: Joannes, verere Du-
 cem fratrem, qui tibi deinceps pro Patre erit. Carol. Pater! Borg.
 Gessavi esse! Joan. Amante Pater! Borg. Franciscum voca! Car.
 Quàm tristi exordiò sermonis terres! Borg. Nihil erit longo ser-
 mone opus: decreta sunt omnia. Ecce facultas Cæsaris! ecce ul-
 tima voluntas Patris! cætera exponet Gener meus. Valetè! iti-
 neris sit comès DEUS, & amet vos semper! Car. Itane! imò Pa-
 ter,

ter, non ita fiet. Frater, jura mea tu tibi habes: ego cum Patre maneo. *Jo.* Post mortem Patris si cedas mihi, accipiam volens: nunc redde Patri; sine Patre non vivam ego. *Car.* Pater, decide causam! non audeo sperare, quod precibus everti sanctum propositum queat, quod te armasti adversum nos; hoc queror, quod bonum consilium celaveris Carolum, ut prospicere sibi non potuerit. Quanquam cur hæsito? sapiens Pater est: qui status ipsi placet, idem & filio placet. Pater! quid mihi cum Gandia, quid cum Lamboia est? habeat sibi has quisquillas Frater: ego Patri hæreo. *Borg.* Placet hic animus, Carole, & loqueris ex meo sensu: tu verò quid sentis, Joannes? *Jo.* Ego Patrem plus, quam Fratrem amo: oro, ne me deseras orphanum! *Car.* Frustra hoc oras, Frater! accepta potius, quæ dono, jura: ecce hodie Dux Gandiæ, Marchio Lamboiæ eris. *Jo.* Probas Pater? *Borg.* Animula vilis! quantum adhuc Adami habes! tu verò, Carole, ad eone facile contemnis hæreditatem, Majorum laboribus & sanguine partam nobis? *Car.* Quanti humana omnia esse debeant, tu docuisti; unde mihi æstimatio sit? pretium habeant, quæ Pater calcat? Quod nihil æstimet DEUS, præter virtutem, quod, quæ pereunt, viri sapientis affectu indigna sint, quod hujus vitæ felicitas vix hodierna sit, quod post hanc vitam nulla prærogativa locum habeat, & nobilium cadavera æquè fateant, ac rusticorum, à te didici: & miraris, quod spernam, quæ tu spernis? *Borg.* Macte animo! quod minus appetis, tantò magis es dignus Imperio. Rogone, Araozi, video, adhuc semel resumendam esse Patris personam mihi. *Rog.* Expecto, quid velis. *Ar.* Carole Princeps, acquiescendum est voluntati paternæ, & in subitis motibus nihil decernendum, quod facile mutari non possit. *Borg.* Erit tempus, cum examinabimus per moram, DEI, an Patris amor sic te incenderit. *Ar.* Sed nec Ignatius, ô Princeps, continuo probaret præceptum consilium: providè agit, nec nisi *per patientiam* probatos in Familiam adlegit.

git. *Borg.* Nimirum vir ille prudens, quos suos esse vult, in illis non ceras numerat, non fortunas attendit: an *apti*, & *serii* sint: AD MAJOREM DEI GLORIAM, hoc inquit; & hæc inquisitio tempus postulat. Itaque *interea* ut imperes, impero tibi, Carole: parebis? *Car.* Nunquam difficilius obediui. DEUS scrutator cordium! tu scis, quòd invitus capessam regimen: da, ut sit breve, dignumque fac, ut cui cum Patre non licet, post Patrem possim in vestigia ire, quæ impressisti viæ, per quam calcatis opibus, honoribus, & commodis hujus vitæ in coelum ibas. *Rog.* Totus patrizas, Carole, & ad ruborem mihi. *Ar.* Optima est animi comparatio ad felix regimen; & nemo securius cum mundo vivit, quàm qui contemnit mundum: contemptus *affectum* opprimit, qui cor seducit à DEO procul. *Borg.* Utinam, Joannes mi, similiter ut Carolus, profecisses in ista Schola! Sed age, quòd non didicisti à Patre, Mater doceat. Ne vacuus à me abeas, hanc effigiem dono. Nôsti, cujus imago sit? *Jo.* Heu! gemino dolore obruor! te, Pater, mihi eripis, & ut mortuæ Matris imago tristis perpetuo ante oculos versetur mihi, hoc jubes insuper? *Borg.* Ad fructum jubeo. Qui amant aliquid *præter DEUM*, amorem vanum, aut malum non facilius corrigent, quàm *per mortis memoriam*. Eleonora! formosa eras, dives eras, illustrissimo genere, amoenissima indole, summa dignitate, summâ gratia: nunc! vide mi Joannes, quid videas! *Jo.* Isabellæ Imperatricis, non Matris Eleonoræ hæc est imago: jam olim cum nausea vidi. *Borg.* Mors Matrem tuam Isabellæ gemellam sororem fecit: ecce ambæ sepultæ sunt, & ambarum propè eum campanarum sonitu memoria periit: hæc rerum humanarum conditio est, quas tanti facimus. *Jo.* Fastidium turbat viscera! talis est Mater mea? heu! quacum toties deliciabar, in quale monstrum desivit!.. *Borg.* Perge! perge! ita te bene occupas. Tu verò Carole, donec aliud DEUS postulet, cape

Mater

Ppppp

Spiri-

EX LIBRIS SANCTI AD PADERBORNENSIS

Spiritum regimini parem. * Auferat à te DEUS SPIRITUM PRINCIPUM, qui est spiritus superbia, spiritus vanitatis, auctor luxus, amator otii, altor crudelitatis, fax bellorum! det tibi SPIRITUM PRINCIPALEM, qui Regium Prophetam *virum* secundum cor DEI fecit. Intellige, quod per aeternae Providentiae ordinem in Principatu sis natus, non ut tibi viveres, tuisque cupiditatibus, sed ut tuos regeres; regere autem non esse idem, ac dominari, despoticoque imperio subditos premere, sed idem esse, ac *communi bono servire*, ex illo sanæ Politiae principio: *Princeps est propter populum, non populus propter Principem.* Prima tibi cura sit *cura Religionis*; à DEO firmantur solia. Altera erit cura tui, ne à semita mandatorum DEI vel unguem devies: obedientiam à subditis tu tibi exigis, à te DEUS. Tertiò loco curabis Fratres, Patérque illis, non Princeps eris, memor, quod non per aliam prerogativam illis præsis, nisi quod cunas prior *tuis* lacrymis madefeceris. Postremum subditos tibi commendo, quos ut regas bene, una regula sufficit: SIC REGÈ, UT REGI VELLE! ita fortiter administrabis justitiam, prudenter coles clementiam, solerter invigilabis Officialibus, sollicitè fugies adulantés, studiosè diliges veritatem, denique jura Majestatis, & magnificentiam nunquam tueberis per tuorum injurias. Talem subditi amabunt ut Patrem, timebunt ut Judicem, colent ut vice-Deum. *Car.* Divina præcepta sunt! coelum faveat, ut satisfaciam Parentis spei! *Ar.* Exempla trahant! *Rog.* Sic eris tu quoque Miraculum Principum. *Borg.* Sed jam fit finis. Adeste ad manus osculum dilecti mei! ultimum Pater vocat. *Jo.* Ergò avelli necesse est? cor mihi eripitur, Frater! *Car.* Reluctari nec DEO, nec Patri licet. O benefica manus, quot bona tibi debeo! nunc dum subtrahis, Pater, sæpè pro me in coelum tolle, ut inde veniat benedictio mihi! *Jo.* Mihi pro lingua loquatur cor! *Borg.* Vale Joannes mi, & quomodo vivendum sit, ex mortua Matre

* Ex Epistola Sancti ad Principem Lusitaniae.

Matre disce! vale Dux Carole! & tu Rogone Gener, vale! colite pacem, obsecro, & concordibus studiis amate DEum, *præter quæ nihil amabile est!* Villalonum manumitto, tibi que commendo, Carole! fidelem famulum habes: cole, donec, cum coelo placuerit, ad famulatum *solius DEI* & ipse feliciter avolet. *Vill.* Dux magne! *Rog.* Illustrissime Socer! *Car. Jo.* Optime Pater! *Borg.* Cessate titulos, quos abjeci! injuriam facitis, si me creditis sic honorari. Franciscus vocor! hic superest unus titulus: FRANCISCUS PECCATOR! valeté! *Vill.* O, utinam plenus his peccatoribus mundus foret!

SCENA III.

Borgia. Araozius.

Borgia. **A** Bierunt. Respiro, Araozi, tanquam si molare saxum pectus à se amovisset: adeo me *multiplex* Amor torfit: nunc cum est *unus*, ô quàm dulcis, ô quàm jucundus est! .. jam Fratres sumus! primum, Pater; amplexum cape! salve in Christo Frater! *Ar.* Laudate victorem coeli, qui talem hodie dedistis Fratrem! sed Fratres similis vestis decet: en paravi! *Borg.* Promptus sum ad obedientiam tibi! *Serii Amoris* partus hæc virtus est. Abi Ducalis cydaris! quem amo, spinis cinctum ostentat caput! exue superbiam Borgia! nudus Amor nudum à phaleris Amorem postulat! porrige tunicam mundo vilem: sic Christum induam! O qui propter me Domine tribus clavus es crucifixus, da ut Borgia nunquam sine tuis comitibus sit, nunquam sine pauperie, nunquam sine dolore, nunquam sine contemptu! Hæc tria si *præter DEum* amo, tunc *solum DEum* amo. *Ar.* O sensus bonus! I munde, jam ride Borgia! at non ridebis, scio, cum videbis olim sedentem *inter judicantes duodecim tribus Israël*, tunc non ridebis!

PPPPP 2

MEDI-

MEDITATIO V.

Diliges ex tota virtute tua. *Marc. 12.*

S. FRANCISCUS XAVERIUS.

ARGUMENTUM.

Ascendimus tertium gradum Amoris *effectivi*, qui est, DEUM *ex tota virtute*, hoc est, SINE MODO diligere. Nimirum claudi limitibus verus Amor non potest; quantum potest, tantum audet, nec rarò etiam plus, quàm potest, ita ut succumbere demum conatui debeat, atque post vires pro Dilecti gloria exhaustas vitam in ejusdem amplexu exspiret. Tam felix mors S. Francisco Xaverio obtigit in Insula Sanciano Sinensibus confinij, quos fidei sacræ luce illustrare, vel sanguinis impendiò, TOTIS VIRIBUS desiderabat, vir nunquam satur arumnarum, quas pro DEO ferebat, quia DEUM *sine modo* amabat. Erit igitur hujus Meditationis, quæ de quinto Francisco instituetur,

Materia: S. Francisci Xaverii sancta mors.

Puncta duo: 1. Mortis causæ.
2. Mortis modus.

Fructus. SINE MODO.

Propositum: In materia, quæ ad DEI beneplacitum pertinet, nunquam dicamus: *satis est!* semper: *amplius!* *amplius!* neque qualemcunque, sed majorem semper, ac majorem ejus gloriam *in omni consilio* spectemus, nullo vel labore, vel dolore deterriti.

PER-

PERSONÆ.

S. Franciscus Xaverius sensim febris succumbens.

Almeida navis Lusitaniæ Præfectus, Xaverii ad Sinas profectiōni contrarius.

Georgius Alvarus Lusitanus Mercator, qui suum mapale ægrotanti permittit.

Jacobus Juvenis Indus, cui à bona institutione deficiente Xaverius moriens prædixit interitum.

Antonius à S. Fide Juvenis Sinensis, à Xaverio conversus, & ex India in Sancianum adductus, ut eidem apud Sinas pro interprete serviret.

PROLOGUS.

Reflexio in Meditationem præteritam, & Præparatio ad præsentem.

Fides. Ratiō.

Ratio. **J**O! rupta sunt vincula: *
Ad DEum, ad tuum centrum
Alacriter cor meum evola!

Exhibitio.

A R I A.

I.

Valete amores profani!

Fulgetis fulgore inani,

Qui levi stultarum

De grege muscarum

Levissimas trahit ad se:

Non sic capietis & me!

Ppppp 3 2. Vix

2.
 Vix illæ, cùm lucem viderunt,
 Audacter se propiùs ferunt,
 Jam alæ uruntur:
 Misellæ sternuntur! ...
 Ex avibus reptiles se
 Dum plangunt, erudiunt me.

Fides. Hem! qualem te video, soror?

Ratio. Qualem fecit Amor.

Ecce reliqui omnia:

Ut amores divisos colligerem,

Et DEUM unum, nihilque

PRÆTER DEUM diligerem.

Quid adhuc mihi deest? Matth. 19.

Fides. Omnia relinquere

Vel *per affectum*,

Vel, si voluerit Dominus,

Etiam *in effectu*,

Non est nihil facere.

Sed tu audi me:

Si vis perfectus esse (sunt verba Domini)

Veni, sequere me, & SIC DILIGE,

SICUT EGO DILEXITE!

Supereft igitur gradus Amoris *altissimus*,

Qui est, DEUM SINE MODO diligere.

Certè, qui voluit crucifigi pro te,

SINE MODO dilexit te,

Neque tantùm EX TOTA ANIMA SUA,

Sed etiam EX TOTA VIRTUTE SUA.

Audis clamantem: CONSUMMATUM EST!

Et non intelligis SINE MODO amantem?

ARIA.

xii^a Anima spoliata crepundiis bonorum præsentium.

A R I A.

Philosophiam optimam

Hic habet TITULUS :

In cruce ponens animam

Vocatur FLORIDUS. *

* Nazarenus.

Amoris nempe flores

Sunt spinæ, sunt dolores,

Si Amor verus est:

Qui ludit, qui jocatur,

Per nugas qui procatur,

Furor, non amor est.

Ratio. Doctrinam tradis austeram!**Fides.** Sed veram,

Ecce Dominus

A juventute sua *in laboribus,*Vitam denique finivit *in doloribus!*

LABOR, & DOLOR fuerunt AMORIS

Individui comites,

Testes, & fomites.

LABOR, & DOLOR probabunt te,

An possis, an velis DEum *sine modo* diligere,

Sicut ipse dilexit te.

Ratio. Labor, & dolor! ô pondus verborum!

Probatio difficillima!

Fides. Amanti jucundissima.

A R I A.

I.

Fides. Assurge! assurge!

In gradum supremum te urge!

Ratio. Promptissimus spiritus est;

Sed caro infensa labori,

Fides.

S. Franciscus

Fides. Non AMORI,*Ratio.* Infensa dolori,*Fides.* Non AMORI,*Ratio.* Rebellis spiritui est!*Fides.* SI AMAT, rebellis non est!

Tu sequere me!

Ratio. Tu adjuva me!*Fides.* Non labor laboris,

Non dolor sentitur doloris,

Si Amor fervebit in te!

Dulcedo dulcissimi mellis

Absorbet vim fellis:

Mors ipsa (ne crucia te!)

Amabilem exhibet se,

Tu sequere me!

Ratio. Tu adjuva me!

MEDITATIONIS V.

De S. Francisco Xaverio

PUNCTUM I.

MORTIS CAUSÆ.

SCENA I.

Xaverius. Antonius. Jacobus.

Xaverius dormiens. **A**mplius, Domine, amplius! .. O bona
 crux! .. *Ant.* Quæ exclamatio est? *Xav.*
 O suaves labores! .. *Jac.* Somnians loquitur. *Xav.* O dolores
 jucun-

jucundi! ampliùs, Domine, ampliùs! . . . *Ant.* O Pater sancte! tu pretiosius dormis, quàm alii vigilant. *Jacobe!* quis animi sensus esse nobis debet de tanto Magistro? *Jac.* Æstimo virum, Antoni, & amo etiam, quia video, quòd amet me, & bonum velit; amarem tamen teneriùs, si esset minùs severus mihi. *Ant.* Ego verò hanc ipsam severitatem tenerrimè amo, quia intelligo *paternam* esse, præceptamque in Evangelio, quod uterque docente ipso, & infinitis prodigiis illustrante professi sumus. Christianos ipse fecit, hoc est, **HOMINES FUTURI TEMPORIS**, atque adeò *præsentium contemptores*; aspirare ad coelum jussit, ne æternis miseriis involveremur: ad coelum viam esse arduam, viam abnegationis, viam crucis sive per innocentiam, sive per poenitentiam intrare velimus, ex ipso sacro Codice demonstravit. Igitur cùm instat, cùm urget nostram segnitiam, cùm contumacem indolem sub suave jugum flectit, cùm arguit, obsecrat, increpat opportunè, ac importunè, beneficium nobis facit. Et vix mihi! æternum vix, nisi optimus DEUS providisset mihi de viro, qui Sinicæ educationis molliem ad Divinæ legis austeritatem durasset. *Jac.* Me India genuit: Indus non ita facilè, ut Sina, naturæ ferventis impetus ad Didascalii imperium frangit. Venus, ira, & horror laboris nobiscum nascuntur: putas, ante nos mori posse? *Ant.* Mori debent, *Jacobe*, si quidem tu velis æternum vivere. *Jac.* Mori debent! quis occidet? *Ant.* Tu, tu debes violentam manum inferre inimicis domesticis, qui pugnant adversum te! *Jac.* Difficillimus labor est. *Ant.* Sed necessarius. Age, quid facis, si fortè in fragili lembo navigantem turbo repentè impetit, si fremit mare, si sursum, deorsum jactat, si jamjam in syrtes trahere, aut scopulos videtur: non tu TOTA VIRTUTE remis incumbis? non summo labore fluctus verberas? non contentione nunquam intermissa adversus ventos, & mare pugnas ferociter, donec victor periculorum in litibus exilias? *Jac.* Scilicet summum vitæ discrimen in isto casu op-

primeret ignaviam indolis, & sopitos spiritus in frigentes artus vocaret. *Ant.* Discrimen vitæ, ais? cuius vitæ? utique miseræ, mille calamitatibus obnoxia, denique quantumvis pro illa laboraveris, tamen seriùs aut citiùs finiendæ: & discrimen vitæ æternum beatæ nihil contra nostri spiritûs acediam valeat? venti ex inferno irruunt, fluctus in utroque appetitu insurgunt, anima periclitatur, & tu irasceris Xaverio, quòd *ad laborem* extimulet! *Jac.* Nimirum ista pericula non cadunt sub sensus; hinc segnitibus movent. *Ant.* Hinc segnities necesse est, ut habeat, à quo concutiatur, ne desinat in lethargum. Frater, boni, boni consule optimi Patris sollicitam curam: molesta sit sensui, & indoli gravis: *amari* etiam molestia potest, quæ *utilis* est, quam nauscat *gustus* medicinam, RATIO, mi Jacobe, RATIO probat, amat, magnò pretiò emit. Laudemus DEum, qui dedit Xaverium nobis: oremus, ne auferat. *Jac.* Quid ingemiscit? prò! si audivit gemitus meos, quæ iterum lamenta audiam! *Ant.* Iterum somnians mussitat aliquid. *Xav.* Heu! pondere opprimor! *Jac.* Audin', ut suspiret! *Ant.* Laborat, sudat, angitur! . . . evigilat. *Xav.* O DEus, ego amo te! . . . quid vidi? . . . *Ant.* Ut vales, Pater mi! *Xav.* Respiro: & fallor! an abiit febris? *Jac.* Utinam concedat induciàs saltem! *Xav.* Ah! miser! ah miser! *Jac.* Nam quid hi gemitus volunt? malum filio prophætatur Pater? *Xav.* Ah miser! . . . Antoni, valeo! curre ad mare! quære cymbulam mihi! ad Sinas navigemus, ad Sinas! *Ant.* Parce obsecro! vitam toti Asiæ debes: vitæ parce! aut moram saltem zelo impera, ne te perimat ante tempus! *Xav.* Tu obloqui! sic obedis! sed bene! Metuis, opinor, vitæ tuæ, non meæ, si Sinensibus Evangelium interpretemur; igitur solus ibo, & vel si pedibûs calcandi fluctus sint, non timebo. *Ant.* Imò obedio, quoniam jubes. Urgebo Almeidam, ut denique secundet votum: tu tantùm, donec redeam, moderare ardorem, ne nimius fervor irritet malum.

PPPP

SCENA

SCENA II.

Xaverius. Jacobus.

Xaverius. Sic places. Sed tu, *ah miser! ah miser!* Jac. Terroribus horrendis me tremefacis, Pater! quid jubes metuere? fortè Propheticum somnium de me turbavit? Xav. Tua te mollities perdet, ô miser! & quia tua vitia non occidis, illa occident te: hic dolor tristissimum somnum fecit. Jac. Audivi gemitus dormientis: sed & jubilum vidi. Xav. Nempe geminum spectaculum se menti objecit, lætum unum, triste alterum. Lætus eram, cùm videbam innumeras cruces delabi coelò, quæ (ita me Spiritus Domini confirmavit) tantùm abfuit, ut tererent, ut etiam traherent in amplexum! Jac. Audivimus attoniti exclamantem: *amplius Domine, amplius!* Xav. Attoniti! quare attoniti? quòd DEUS *pro homine* cruci configi voluerit, hoc attonare hominem debet intelligentem, quid sibi velint hæ voces: DEUS PRO HOMINE! si autem *homo* aliquid pati PRO DEO velit, unde admiratio sit? Tu, tu, mi JESU, totum me amplexus es in cruce! cur igitur non amem te, & Amorem simili crucis amplexu probem? Jac. Sed tu, quod ego à vigilante fieri posse vix adducar, ut credam, petebas, post decem annorum immensos labores, post itinerum infinitas molestias, post vires quotidianis prædicationibus exhaustas, post tot naufragia, vir perpetuæ orationis, exigui somni, refocillationis nullius, obrutus innumeris curis, curis pro Sociis, & pro extraneis, in tanta rerum omnium, & commodorum penuria, post tantas elementorum, hominùmque in Gentibus tam variis injurias, & novissimè à Præfecto Malacensi nullo habito ad Nuntii Pontificii dignitatem respectu publicè contemptus, à Lusitanis, quibus nuperri-
mè, ne siti perirent, aquam maris falsam in dulcem insigni prodigiò conmutasti, panè desertus, insuper calente feбри ad mor-
tem

Q9999 2

tem

tem oppressus, petebas *amplius* laborum, *amplius* ærumnarum, *amplius* Crucium; profectò humana natura ab his abhorret, *Xav.* Sed ratio, & fides, ò bone, non abhorret. Tu, tu, mi JESU, tulisti clavos, lanceam, multàmque ignominiam, *INNUMEROS* dolores, sudores, & angores, ac mortem, & hæc *PROPTER ME!* quantillum est, quod ego feci, & tuli *propter te!* . . . AH MISER! tu neque scis, quid sit *amari* à DEO, neque quid sit DEum *amare*: propterea si quidem vult DEUS, ut moriar, prope de te solo sic affligor, sicut de tota Sina, quòd curæ meæ nondum fructum, quem vellem, tulerint. Et verò vereor, ne alterum somnium hoc malum portenderit. Videbàr mihi portare in humeris Indum Æthiopem, & sub onere defecisse! *Jac.* Sudabas certè, & difficillimo anhelitu angorem animi demonstrabas: egòne sim ita gravis? . . . Alia interpretatio occurrit mihi. Æthiops pondere giganteo incumbens: tibi universam Indiam referebat, cui impensè labores huc adegerunt te, Pater, ut valetudine jam prostrata Sinis suffecturus sis minimè: propterea acquiescendum tandem erit amicorum consiliis; convertè Indias ad Christum: satis est: *Xav. Satis est!* ò frigus! nam ignis nunquam dicit: *sufficit!* amplius! amplius propagat incendium, donec supersit nihil, quòd devoret. Indiæ providi de operariis, qui quod plantavi, rigent, donec incrementum det DEUS: me coelum in Sinas vocat: in Sinas ibo. Video eheu! latè patientes campos urticis, ac tribulis plenos; quia nemo est, qui excolat! amplissimum Imperium sub jugo Sathanico gemit: & nemo est, qui liberet! quot myriades animarum hoc Regnum alit; & nulla ex illis amat DEum meum: ego hoc sinam! hoc feram! hoc patiar? *Jac.* Modum, quæso, fervori pone! *Xav.* *Ab miser!* tu libidini tuæ, tuæ iræ, tuæ acedix pone modum, & limites tandem: me sine DEum meum *sine modo* amabilem *sine modo* amare! *Jac.* Fastidium est, Pater, toties audire antiquam crambem: patientiam habe: modum affectionibus meis

ætas ponet. *Xav.* Quid audio? modum *ætas*, non *Amor* ponet? ergò qui ab æterno amavit te, non tu illum *omni ætate* amabis DEum? O glacies feralis! ô cor infelix! hem! Domine, tu in laboribus, & doloribus fuisti à juventute tua propter hunc homuncionem, & iste vult amare te, cùm erit vir: dum est juvenis, non vult amare! *Ab miser!* quem non vis amare, cùm potes *omni tempore*, vereor, ut possis amare, cùm voles, *in æternitate!* Non DEus tuo, sed tu DEI Amore indiges, ut sis felix. *Jac.* Fatigor à tot lamentis. Ecce Antonius tuus.

S C E N A III.

Xaverius. Antonius. Jacobus. Almeida. Alvarus.

Antonius. JAM verò, Pater mi, hinc proficiscendi ultima necessitas est, & videndi patriam Christo supplicem spes omnis evanuit mihi. *Alm.* Pro mea erga te reverentia Pater, ipse adsum ingratus nuntius, ut videas, quòd invitus obediam. Epistolam inspice! *Xav.* Nomen Ateidæ lego: nihil commune mihi cum viro est propter contumaciam à Sanctorum communi-
Alv. Irritasti ferox ingenium tua severitate, sic, ut iræ rabiem usque in Sancianum extendat. *Xav.* Parcat illi Dominus! coëgit me homo invitum, atque gementem extrema expedire remedia, dirisque devovere virum rebellem Christo, Christi-
Alm. Aliter accidit. Exacerbator, deserto te, jubet nos redire Malacam; obediendum Præfecto est: cras faciemus vela. *Xav.* Ecce! huc hominem furor egit! Me miseret miseri: nam pænas impeditæ legationis horrendas dabit, uno, eodémque tempore famæ, fortunarum, regiæ gratiæ, ipsius vitæ, utinam non & animæ jacturam passurus. *Almeida*, obsecro, ut ad Sinas

Qqqqq 3

Can-

Cantonem occultè avehar : ita te DEUS amet ! *Alm.* Atqui hoc ipsum prohibeor : legis ? *Xav.* Profectò provida impietas est. Sed intelligo tua consilia, ô mens aeterna ! Lusitanæ naves, quibus solerter servii, nuper ne salutatum quidem omnes reliquerunt : quæ mansit una, jam etiam deserit : solus sum, ut soli me tibi fidam. *Alm.* Quidquid tamen jusserit Gubernator, hoc non committam, ut in deserta Insula extremæ calamitati virum optimè de nobis meritum, DEO charum, ex morbo languentem exponam ; quodcunque littus postules, inveham, modò Malacam, aut Sinam non expetas. *Alv.* Et verò adire Sinas quousque avebis, Pater ! si tibi tui cura non est, at saltem sit mercatorum, quos tuus in Sinas adventus ab omnibus excludet commerciis ? *Alm.* Et afflicta propè ad mortem valetudine quid præstabis ? Vix ingressum aut vires destituent ad prædicandum, aut si redirent etiam, immani labori celeriter succumbent, aut proditus aeterno carcere, vel capitis pænâ audaciam lues. *Xav.* Igitur aut labor, aut dolor manet : uterque comes Amoris est. Amor ad Sinas vocat. Agite res vestras, Amici : de me Dominus providebit. Sinite, ut soli loquar.

S C E N A IV.

Almeida. Alvarus. Jacobus. Antonius.

Almeida. Quid facimus ? *Alv.* Mihi navis cum mercibus Cantone rediit ; & jam nihil tenet, quò minùs cras abeam. *Alm.* Ego verò per aliquot dies vel Ateidæ ingratis libenter hærerem ad littus, donec extra discrimen posita valetudo Xaverii idoneas jactationi vires suppeteret, si tamen spes esset flectendi virum, ut à consilio Missionis Sinensis desisteret. *Alv.* Nempe times, Almeida (nec imprudens est timor) ne si tanti nominis hominem in Sanciano deseras, malè in tota India

dia, & Lusitania audias, arguendus barbaræ inhumanitatis, quæ nota est viro honestè educato turpissima. *Jac.* Sed inutilis humanitas est: obstinatus in proposito animus officium non admittit. Xaverius, vel si totus mundus dissuadeat, ad Sinas ibit; est sui capitis, & ajunt, vitium pertinaciæ esse commune Sanctorum. *Ant.* Paulò reverentiùs, Frater, de hominibus DEO charis loquare. Quòd tu vitium pertinaciæ appellas, est *virtus Constantia*. Sancti, quod decernunt, non decernunt *per impetum*: consilium à DEO orantes postulant; res non obiter, neque ad malignum lumen intellectûs ab affectibus obnubilati expendunt, sed trutinant ad rationes æternas; denique non semper per leges *prudentiæ humanæ* se regunt, à Divina inspiratione aguntur: mirum sit, si minùs facilè, quàm alii, sententiam mutant? *Jac.* Te semper *spiritus contradictionis* facundum reddit adversum me, postquàm in sinum Xaverii te coniecisti, me dejecto. *Ant.* Amici, injuriam iste loquitur: ego illi gratiam Sancti, æquè ut mihi, gratulor: & verè utrumque à Francisco amari æqualiter, *præter invidiam*, nemo non videt, licèt Amoris signa erga me, & ipsum diversa edat. *Alm.* Semper tu quereris, Æthiops, de severitate Xaverii: minùs amaret te, si minùs severus esset. Facilior Antonio est, quid tum? nempe faciliùs forma, quam cupio, in tela, quàm in faxo formatur: difficilis indoles scalpris, & limâ indiget. *Jac.* Miseri Indi! sic viluimus vobis? postquàm hic Sina sua vafritie vos dementavit: atqui tu, Alvare, meliùs nôsti, qui sint, quos nunc præ Indis Lusitani depereunt: in Cantonensibus commerciis experientiam ceperis. *Alv.* Nemo, Amice, sine vitiis nascitur. *Alm.* Optimus est, qui agnoscit, & correctionis est patiens: omissis jurgiis uterque parete Xaverio, uterque amabitur. *Jac.* Non jurgor: hoc tantùm molestè fero, quòd iste per spes inanes sic se insinuaverit Patris animo, ut etiam ad deserendam Indiam obstinaverit. *Alv.* Tantùm si potes, quare non id agis modò, ut mutet consilium, post-

postquam vides, per Indicos labores prostratum, jam Sinicis non posse sufficere? *Ant.* Amici, sæpe hanc causam coram ægro etiam cum lacrymis egi. Quanquam enim tantum bonum, quantum est sanctæ fidei, contribulibus meis summis votis exoptem, tamen valetudini, & vitæ ut parceret, quoties rogavi! Flebam ego: flebat ipse etiam, atque cum gemitu: fili, dicebat, hæc tu lamenta Europæis mercatoribus fac: illi per tot terrarum, mariùmque discrimina, patriæ, uxoris, liberorum, sanitatis, vitæque immemores ad Indos contendunt, ut lucrum ex quisquiliis faciant: & tu homini *animas* quærenti otium à laboribus suades? tu vis, ut corpori quietem indulgeam? vis igitur, ut *vitam inutilem* vivam, ne *citiùs* moriar? atqui nihil interest, *quàm diu*, sed *quàm bene*, quàm utiliter vivam: multi moriuntur senes pleni annorum, vacui meritorum: vis, ut inter hos Xaverius numeretur? Absit! *laborare* necesse est, *vivere* non est necesse, nisi possim *utiliter* vivere. Ecce! (& osculabatur crucem) ecce in flore ætatis contempsit vitam suam Dominus, & dedit pro me: Servus autem tanti se æstimet, ut mori nolit in obsequio Domini? quanti terrâ, marique, in pacis, & belli laboribus pro Principe suo vires, ac vitam prodigunt, & laudantur: pro DEO autem, si paulò citiùs consumatur Xaverius, imprudens dicetur. *Vade retrò Satana!* scandalum es mihi, quisquis quietem suades! DEUS amandus est EX TOTIS VIRIBUS! qui vitam vivere *ignavè quietam* cupit, non meretur, ut post mortem *requiescat in pace*. Hi sensus Xaverii sunt: ite nunc, & suadete, ut Sinicas ærumnas fugiat. *Sinæ*, inquit, vel me audient: si audient, erit vita mihi pro DEO *laboriosa*: si non audient, vitam auferet *cruenta mors*: utraque est in votis. Non possum *jucundiùs* vivere, nisi *in laboribus* pro DEO: non possum *gloriosiùs* mori, nisi *in cruciatibus* pro DEO. *Alv.* Almeida, vel nuda descriptio animi sic comparati in desperationem me conjicit, fieri posse, ut à sententia dimoveatur: convalescimus. *Alm.* Te-
cum

cum sentio, nam cui bono hic habebimus? abiturum Atceides imperat, tempus urget, venti vocant: valedicamus Sancto, ut benedicat. *Ant.* Ah duri! hæc resolutio est digna ingentibus beneficiis, quæ Xaverius præstitit. *Alm.* Grata memoria est: doleo, quod sit inutilis. *Ant.* Ad mortem ægrum relinquitis in manibus duorum juvenum inexpertorum, opis ac consilii egenorum? Frater, quid nos agemus? *Jac.* Ego mihi consulam: cum Almeida abibo hinc! *Ant.* Quid? & in me solum incumbet onus curandi ægri! Almeida! hoc tu insuper committes facinus, & Jacobum insciò, atque invitò Xaveriò tecum auferes? *Jac.* Quid? ut in desertæ Insulæ miseris propter ipsum contabescam, Xaverius exigat? *Alv.* Nihil hoc metue: quæ ad victum sufficiant, donec redibimus, ego ex navi suppeditabo. *Jac.* Nihil istis opus est mihi; vel ringente Xaverio redibo in Indiam: sentiat, quem amiserit, & habeat fructum suæ severitatis. *Ant.* O Superi! quid loquitur iste? Almeida, tu judica, in quam miseriam me Jacobus præcipitet? solus quomodò ægro, quomodò mihi consulam? *Jac.* Si eris miser, tuâ culpâ eris: abire tu etiam nobiscum potes, & ego invito te. *Ant.* Crude! hoc te adeò impium consilium decet? *Jac.* Stupide! desertum ab omnibus Xaverium non vides coactum iri, ut in Indiam nobiscum redeat? non sic mihi, & vobis consulo? *Ant.* I miser, consule tibi: consilium à te Xaverius sibi non requiret. O sancta pietas, quam bonum semen in isto corde nullas radices egit! *Alm.* Lamentis abstine! nunquam ego hominem in navem recipiam, nisi annuerit Xaverius. Intremus.

SCENA V.

Antonius. Jacobus.

Jacobus. TU verò, Sina, hoc telum vides? acumen tenta! *Ant.* Cur istud postulas? *Jac.* Visceribus tuis usque huc immer-

Rrrrr

mer-

mersum hoc frigus ferri calescet in tuo sanguine, & animam expellet invisam mihi, nisi efficias, ut per Xaverium reverti in Patriam sinar. *Ant.* Jacobe Frater! ecce per illum supplex te DEUM oro, cui consecrati uterque per sacrum lavacrum sumus: abjice consilium atrox, tam inimicum charitati, quam proximo propter DEUM juravimus! *Jac.* Necem juravi tibi, nisi pareas. *Ant.* Ah! quò te impotens furor agit? nimis AMAS TE IPSUM Frater, ideò majores verò miseras times, & timor accendit rabiem: DEUM AMA! Amor cicurabit ferociam: Amor ad ærumnas durabit pectus. Servimus Sancto, quem DEUS amat: in hoc servitio etiã, si mori necesse sit, beati sumus! *Jac.* Vis, ut ego vobiscum crepem? surdus sum! non persuadebis.

SCENA VI.

Antonius. Almeida. Alvarus. Xaverius.

Antonius. O DEUS! quem esse SINE MODO amandum me Xaverius docuit, in quas angustias Antonium redigis? Amici deserunt, Frater odit, Pater fortasse moritur: ego quò ibo? *Alm.* Antoni, ardor febrilis rediit: vereor, ne antequam nos e portu, Xaverius ex vita abeat. *Ant.* O me miserum! ô infelicem Sinam! *Alv.* Totus in piis deliriis est: nihil ad nostras quæstiones conveniens loquitur. Audis? *Xav.* Qui coelo & terræ imperat, huc misit me, unus ac trinus DEUS! *Ant.* O Pater! quorsum inani contentione fatigas te! *Xav.* Per omnia superstitiones Indis, ac Japonibus vos video, Sineses mei. *Ant.* Ah! nemo te audit. Audi me, Pater mi! & in laborem utilem vires serva! *Xav.* Unus est DEUS, sapientissime Imperator, unus est DEUS! *Ant.* Jam in aula prædicationis officio se fungi existimat. *Xav.* Unum ratio, unum natura esse clamat, cui nullus sit par! unum adorari, Princeps, unum amari in tuo Imperio impera! nihil vos mortua simulacra juvant: unus est,

est, qui vivit, & regnat in sæcula! *Ant.* Et ab hoc uno, Amici, spes auxilii pro Xaverio est. O qui per Xaverium tot agros sanasti Domine, ecce quem amas, infirmatur ad mortem! miserere Sinensium! dic verbo (nam verbo potes) & sanabitur Xaverius: sanetur! Quòd si peccata popularium, meorum indignos gratiã prodigiũ faciunt, ecce! adsum victima pro peccato! aufer hominem inutilem mundo: Xaverium Sinis. serva!
Alv. Almeida, miserabilem scenam video. *Xav.* Antoni! Antoni! *Ant.* Ecce adsum! redis ad te? impera! jube! *Xav.* Interpretare, quæ dixi, sed cum ardore! cum ardore, quem argumentum meretur. *Alm.* Vide, ut incensa sit facies! *Alv.* Ipse anhelitus panẽ ignem expirat. *Xav.* Hic DEUS, hic Dominus univertorum, cum per peccatum homo gratiã excidisset, ut sine *Justitię detrimento* restitui posset, unde exciderat, sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum pro illo in mortem dederit, & quidem in crucis mortem! *Alm.* Contentio vocis, ac virium elidet animam, nisi juyamus. *Alv.* Quid est consilii? *Xav.* Ecce hic est Filius DEI, mortuus pro Sinis, Imperator, ut vitam haberetis æternam! mortuus est, sed & resurrexit à mortuis, & jam sedet ad dextram Patris: inde venturus est judicare, & cum judicabit orbem terrarum, illi, qui crediderunt in eum, eique obediverunt, ibunt in vitam æternam, qui verò non crediderunt, condemnabuntur ad supplicium æternum, in stagnum ignis ardentis, ubi cruciabuntur in sæcula sæculorum! *Almeida.* Antoni, est Chirurgus in navi: consulamus hominem, an fortè phlebotomia non profit. *Ant.* Vereor, ne serum remedium sit. *Alv.* In re desperata audenda sunt omnia. *Alm.* Si morbum non tollet sanguinis missio, saltem erit tolerabilior mors. *Alv.* Miserum solatium est: tamen agimus, quod agi potest.

Rrrrr 2

SCENA

SCENA VII.

Xaverius. Antonius.

Antonius. Jam mea calamitas propè apicem attigit. *Xav.* Dicitis ut fidem faciam, Princeps, postulas? Eja! huc afferri jube, quotquot in Imperio sunt, aliquibus ærumnis oppressi: in Nomine D. N. J. C. Crucifixi cæci videbunt, surdi audient, claudi ambulabunt, mortui resurgent! quòd si alia probatio placet, en corpus, en membra! quam prædico veritatem, effuso per extrema tormenta sanguine subsignabo. *Ant.* O DEUS, sic Xaverius delirans te amat: quantum amabit sapiens! Antoni, sic ex totibus viribus DEUS amatur! tu vires optime ætatis quibus stultitiis consecrasti? ô valetudo, dulce beneficium DEI, quàm multi te abutuntur in benefactoris injuriam! Domine vitæ, & mortis! qui malè sani sunt, illi, fac, ut ægrotent: Xaverius vires suas pro te impendit, & tu prosternis! Ah! salvum fac servum tuum, Domine, propter te! .. propter te! ... fallor! an quiescis, Pater! .. prò! ut sudas! ut anhe ut suspiras atrociter! oppidò fatigasti te! *Xav.* Ubi fui! .. *Ant.* Nosti Antonium tuum, Pater mi! *Xav.* Filius meus es tu, quem in Christo JESU iterum genui: Antonius es. Sitio, mi Antoni, vehementer sitio. *Ant.* Ecce festino, ut aquam hauriam. *Xav.* Omare, amarum mare, quousque à Sina me divides! .. quid autem de Sina somnio! jam mors grassatur in visceribus: migrandum est. O nimum bone Domine! vix aliquot menses supra decennium laboravi in India, & Japonia: & tu jam vocas ad denarium! Ah! amplius vitæ! atque in vita amplius laborum! amplius dolorum! *Ant.* Ecce Pater, aqua limpidissima, unde refrigeres æstum pectoris! *Xav.* Libemus eam Domino, fili mi, Domino! Domino in cruce sitienti! *Ant.* Siccine! atqui ita morieris præ siti! *Xav.* Ita, præ siti moriar, præ siti animarum,
præ

præ siti laborum, præ siti dolorum. Amplius Domine, amplius propter te! *Ant.* At nunc quiesce saltem! miserè enim paroxisimus vexavit corpusculum. *Xav.* Frustra quietem Amori imperas. *Ant.* At silentium tamen! *Xav.* Sileo. *Ant.* Ego morior ad istos pedes.

CHORUS.

Stultitia Animæ DEUM non totis viribûs amantis.

Anima. Caro. Amor DEI. Labor. Dolor.

Anima. **C**Or meum, & caro mea
Exultaverunt in DEUM vivum! Ps. 83:
 Cantemus Domino, Soror,
 Cantemus, quia usque ad delicias amat nos!
Caro. Redamemus! cantemus!

DUETTO.

O DEus, ego amo te,
 Amo tenerrimè! ...
 Eja! rumpe costas pectus,
 Dulcis locum ut affectus
 Habeat amplissimum!
 Ardet desiderium
 Amandi amplius!
 Amplius!

Amor Dei. Satis est, satis verborum:
 Qualis quisque sit in Amore,
 Probat se,
 Non ex more, vel ore,
 Sed ex re,

Rrrrr 3

ARIA.

A. R. I. A.

Semper amor verus

Fuit rigorosi

Examinis res:

Color est sincerus,

Quando lacertosi

Est roboris spes,

Ante pugnam fortis

Ipsa inter arma

Ignavia stat:

Sed ad umbram mortis,

Mox abjectâ parmâ

In fugam se dat.

Anima. Ecce totam, quanta sum, tibi committo me.
Ut libet, licet Amori cum Anima disponere,

Caro. MODO nihil supra vires velis exigere.

Amor. Apage istud modò!

DEum necesse est non solùm *ex tota anima,*

Sed etiam *ex totis viribus,*

Et SINE MODO diligere.

Verùm Amori obstat Amor,

Quo sororem prosequitur soror:

Propterea *non veni pacem mittere, sed gladium,*

Quò obstantem Amori discindam Amorem.

Ecce intrant, ... Eja! si placet Amor!

Placeant etiam amici Amoris,

LABOR, & DOLOR.

Caro. Heu! ad me pertinent istæ minaciæ!

Soror, defende me!

Amor. Vah! famineum suspirium!

Atqui, si vultis vivere in amore,

Viven-

Anima. Vivendum est in labore, & dolore,
Vel ipso nomine occidis me!

A R I A.

Caro. Dulcis vita est amare :

Caro. Tristis vita laborare :

Qui hoc jubet, jubet mori,

Anima. Et succumbere dolori,

Caro. Antequàm labor,

Anima. Antequàm dolor

Ambæ. Oppresserint me.

Quem amamus, suavis DEus,

Caro. Pater est! *Anima.* Est Sponsus meus :

Caro. Pater me ad transtra liget ?

Anima. Sponsus me in cruce figet ?

Caro. Non me ligabit,

Anima. Non me damnabit,

Ambæ. Qui diligit me!

Amor. Scilicet, quem diligitis,

In montem Thabor sequi cupitis,

In monte Calvariæ deseritis! ...

Dolor. Delicatæ!

Si verè amatis, generosè amate!

Labor. Amor vester DEus crucifixus est,

DEus, qui à juventute sua vixit

In labore, & dolore :

Dolor. DEus, qui in ætatis flore

Animam in cruce pro vobis posuit ex Amore :

Amor. Amor, si Amor est, necesse est,

Ut amantes-amato aut inveniat,

Aut faciat similes.

Labor.

Labor. LABOR, & DOLOR huc serviunt ?

Dolor. Sunt amoris Artifices.

Ecce Prototypon !

Labor. Tale formamus Eclypon : *

Amor. Hæc nostra officina est.

• Exhibetur aula plena imaginibus, inter laboris, & doloris partem erga.

ARIA A TRIO.

Labor. Ecce ! hæc laboris,

Dolor. Ecce ! hæc doloris,

Amor. Distante Amore

Tres. Sunt artificia !

Labor, & In his Dilectus videt se,

Dolor. Et placens sibi amat se :

Amor. Ex auri pallore

Taxabit singula.

Caro. Novi Heroës, & æstimo :

Sed nonne plerique per laborem, & dolo rem

Sanitatem, virësque prostraverunt,

Et ante tempus illati sunt tumulo ?

Anima. Videtis corpus gracile :

Ne subitò deficiat, num immeritò timeo ?

Labor. Nempe vos eritis immortales !

Imò, quantumvis laborem, & dolorem oderitis,

Denique deficietis

Vel ab ipsis deliciis.

Dolor. Sed neque nos effugietis :

Labor, & Dolor, quos fugitis,

Cùm comes est Amor,

Sine Amore vos persequentur :

Et tunc fugi, tunc odio haberi merentur.

Labor. Respicite ! *

• Exhibitio:
Tria

Dolor. Tria se vobis exhibent cæmeteria:
Moriemini! sepeliemini!
Quod eligatis, dicite.

ARIA A DUETTO.

Dolor. Hic jacent, quos immanibus
Oppressos à doloribus
Aut vinum, aut Venus, aut ira necavit.

Labor. Hic jacent, quos insomnibus
Consumptos à laboribus

In luto, & latere Mundus humavit.

Labor, & Hic jacent, quos Amor Divinus

Dolor. Per nos morte placida

Transtulit ad fidera:

Quod (dicite!) malum est minus?

Licet eligere:

Eligite!

Anima. Non videmini nihil dicere:

Caro. Sed liceat deliberare!

Labor. Vah! & hoc sit sapere?

Dolor. Hoc sit bonum à malo discernere?

Amor. Hoc sit amare?

Necesse est mori, non datur exemptio:

Sed ex quo labore, ex quo dolore

Vires, sanitatem, vitam velis absumi,

Datur electio:

Papæ! num potest esse prudens deliberatio?

A R I A.

Cereus si saperet,

Euge! quid eligeret?

Sssss

IN

S. *Franciscus*

IN ABACO ludentibus
 An mallet præluere,
 An Numinis honoribus
 IN ARA resplendere?
 Utrinque se consumeret:
 Euge! quid eligeret?...

PUNCTUM II.

MORTIS MODUS.

SCENA I.

Alvarus. Jacobus.

Alvarus. **R**Espiro à terrore, quem convulsiones, & deliquia incusserunt; nervi, credo, ab imperito chirurgo offensi dolore lethali confecissent ægrotum, si diutius torfisset symptoma. *Jac.* Nunc verò somnus, qui jactationi succēssit, spem vobis convalescentiæ præbet? *Alv.* Optimam; signum est enim, quòd missio sanguinis vim æstus febrilis fregerit. *Jac.* Infelix sum! *Alv.* Tu ingemiscis? *Jac.* Quia si moreretur Xaverius, Almeida me in navim reciperet, redire liceret ad meos: liber à jugo forem. *Alv.* Nescis, quid petas, miser! non potest tibi displicere Xaverius, nisi Christus displiceat: reverti in mancipatum diaboli est animus tibi? .. hem! filel homo. Igitur nunc intelligo demum, cur te Xaverius in Sancianum adduxerit. Inspexit *animi mobilitatem* nempe, & ut caveret lapsui, abstrahere à periculo voluit: ingens beneficium fecit. Equus effranis libertas est: sessorem juvenem in omne scelus præcipitem agit. *Jac.* Liber natus sum: servire nolo. *Alv.* DEO verò, velis nolis, servire debes, nisi perire æternum malis: nemo ex Regibus
 etiam

etiam ab hac necessitate exemptus est; servi omnes nascimur.
Jac. Iterum Almeidam adeo: vae homini, si iterum rejiciat
 preces! *Alv.* Minaris adeo? quò te cæcus amor licentiæ abripit?
 metue tibi! si fortè violenta consilia agitas. Ecce! arma,
 quibûs contra belluas cincti incedimus, in te convertes. *Jacob.*
 Nihil metuo. *Alv.* Ferox homo est. *Jac.* Vides hanc rupem? ex
 hac Almeidam sedentem ad clavum sagittis conficiam, si sine me
 navigabitis! *Alv.* Quid murmuras?

S C E N A II.

Alvarus. Antonius.

Anton. **A** Dhuc suavissimè Xaverius dormit: spero bene. Amas
 Sineses, Domine, qui tantum Apostolum nobis
 servas! *Alv.* Gratulor! utinam tamen non triumphes antetemp-
 tus: malum à convulsionibus time, si redeant. Si ad vesperum
 tranquillitas duret, tunc exclama! Sed mihi jam major panè cu-
 ra est de Jacobo, furit atrociter, & barbaras minas jaçtat. *Ant.*
 Scio: ô auferte vobiscum hominem: indomabilis indoles mo-
 lestiis non ferendis fatigat Xaverium. *Per Amorem DEI VINCE*
TEIPSUM, Jacobe, centies de die inclamabat Xaverius: *sine pug-*
na non vinces, & sine victoria non coronaberis! Surdo cecinit:
 homo post baptismum voluit eadem flagitia licere sibi, quibûs
 idolorum cultor inquinabatur. Stolidè nimis *SEIPSUM AMAT,*
 & *SINE MODO*: itaque nihil negat *æ tioso appetitui*, scilicet quia
 vi opus foret, vim autem sibi facere delicatus pusio nullam vult.
Alv. Omitte cætera: pernovi hominem in via satis, sæpèque
 admiratus sum Xaverii patientiam, modis omnibûs adlaboran-
 tis, ut Juvenem DEO excoleret. *Ant.* Odium *VITÆ MOL-*
LIS, si meministi, præcipuè inculcabat, adeoque *fugam otii,*
 & *amorem laboris, ac ærumnarum*; negabat enim, quòd, *qui mol-*
liter vivunt, DEum ex totis viribus sicut oportet, ament. *Alv.*

Sssss 2

Etiam

Etiam Europæis auribus molesta hæc lectio est, ut adeò de Asiaticis minùs mirer. Sed tu fac, ut Almeida Xaverium invitum ne habeat, si abducat Jacobum. *Ant.* Imò auferendus est inscio; nam nimis amat Xaverius hominem, quanquam ipsius amoris impatientem, quia virilis est, quia mollis non est. *Alv.* Tu verò solus sufficies? nimirum ut, donec offeratur occasio penetrandi ad Sinas, ægroti necessitatibus servias? *Ant.* Date alium ex vestro numero, qui mihi adiutor sit, si quidem verè, uti videri vultis, Xaverius vobis in pretio est. *Alv.* Almeida loquar...

S C E N A III.

Antonius. Xaverius.

Antonius. **E**Vigilat. Ut te habes, mi Pater? *Xav.* Bene, filii mi, bene, optimè me habeo. Vale Sina, tot votis, tot desideriiis petita mihi! aliæ te manus colent: ego spectator messis de coelo ero. *Ant.* Animò aberras, Pater! te, tuas manus, non alias expectat patria. *Xav.* Tu erras, mi Antoni, nam ego quidem jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat: bonum certamen certavi, cursum consummavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus! ita, in te, Domine, speravi: non confundar in æternum! *Ant.* Nihil de morte loquamur, Pater! quinquaginta annos nondum habes, & jam vis mori? de vita loquamur, de vita in laboribus agenda usque in supremum senium: tunc maturior coelo eris! *Xav.* Domine! si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: sed quis est necessarius tibi? centum pro uno operarios, si vis, habes, meliores me: ego Servus inutilis fui! *Jesu Fili David miserere mei!* *Ant.* Bone DEus, si iste Servus inutilis fuit, quis, & qualis sum ego? Xaverii! omitte, obsecro, istas de morte curas: valetudinem cura! *Xav.* Frustra speras; migrare Dominus jubet: venit hora, & nunc

nunc est, veni Domine JESU! ecce venio! *Ant.* Heu, quid agam? in tanta imbecillitate tanta contentio utique te occidet? *Xav.* Qui semper EXTOTIS VIRIBUS amare DEUM studui, vis, ut in ultimo vitæ actu *viribus* parcam? *Ant.* Ah! mi Pater, aliis ægris præcipitur silentium, vix Sacerdoti sinuntur loqui, imò etiam, qui pios affectus præit, quos æger audiat, jubetur brevis esse, ne vitam, ajunt, decumbenti abbreviet, cujus solus DEUS est Dominus, & tu! *Xav.* Tace carnalis sapientia! nescis, quòd DEI Filius clamans voce magna exspiraverit? ... Qui vitam sibi *per pravorum affectuum incontinentiam* abbreviant, de ira Domini metuant sibi. Qui in tuo obsequio, DEUS mi! cui debetur vita, citius moriuntur, quia contentiosius laboraverunt, nunquid reprehendentur? intende *remissius* fides citharæ, diutius servabis integras, sed Musica miserrimè languebit: ut placeat, adducantur, donec edant sonum, quem res exigit: rumpentur *citius*; nihil refert, modò rumpantur in obsequio, quod debebant. Ergò INTENDE TE AMOR, & quantum potes, tantum aude, sciens, quia modicum tempus superest. *Ant.* Heu me! nihil proficio: Lufitamos in auxilium voco.

SCENA IV.

Xaverius solus.

O DEUS EGO AMO TE! nec amo te, *ut salves me*, aut, *ne aeternum damnes me!* .. imò erravi! amo, *ut salves!* amo, *ne damnes!* equidem non ignis infernalis me incendit, ut amem: sed amo tamen, ne dejiciat in locum, ubi Amor aeternum exultat! non splendor Coeli, non divitiæ loci, non deliciae incitant, *ut velim salvari*: amo, ut salver, salvari volo, ut amare aeternum possim! amo te, *non præmii ullius spe*, quod A TE distinctum sit: amo tamen, quia amare aeternum concupisco! quid? hic

Ssss 3

Amor

Amor concupiscentiæ est, qui Amoris perfectioni, quem tu mereris, repugnat? imò *lauda anima mea Dominum!* qui sic Amorem sui cum Amore mei connexuit, ut non possim amare ipsum, quin *eodem Amore* amem me. VIVO, UT AMEM! Amor est finis meus, in quo quiesco: Amor beatitudo mea, quæ omne desiderium implet, si erit *æternus Amor!* finem meum, beatitudinem meam ut appetam, *per omnem actum*, tu *præcepisti*, neque *appetitus amoris* est aliquid aliud, quàm *appetitus meæ beatitudinis*: igitur si amo te, QUIA infinite amabilis es, & amo te, UT *per Amorem* merear *æternum amare*, simul me & te amo, & gemini amores unus sunt Amor, quia cum amo, UT AMEM, me PROPTER TE amo. Gaude igitur, gaude anima mea! ultimus in hac vita agendus est actus Amoris, qui est ex, & in Amore amati mori: mors initium Amoris æterni erit. Igitur ô felix pœnitentia, quam de amore vanitatum Ignatio Duce maturè concepi! ô bene suscepti labores, quos per Europam, Indiam, & Japoniam ex Amore DEI exantlavi! ô jucundæ miseriæ, quæ in ipso Amoris exercitio me oppresserunt! succumbis caro mea! sed plaude tibi! nulli amori profano, soli Divino succumbis! plaude! merces DEI *amati in tempore* erit DEUS *amandus tota æternitate!* ô merces magna nimis! Cœlum meum cœlum Amoris erit: hoc solum appeto, nullum aliud: nam *sicut tu amâsti me, sic amo, & amabo te!* tu amâsti me *hoc fine*, ut ameris à me: ego amo te *hoc fine*, ut amer à te; amari autem à te *non alio fine* cupio, nisi ut liceat *æternum amare*: dignus es Amore æterno, quia REX MEUS es, quia DEUS es! REX, optimus ERGA ME! DEUS, summum bonum IN SE! ... Eja! jam viscera mors ingreditur! vale terra! CONSUMMATUM EST! in Cœlum eo! *Domine JESU, in manus tuas commendo spiritum meum!*...

SCENA

S C E N A V.

Personæ omnes.

Antonius. Heu me! egone funestas rixas moribundo Xaverio referam? *Jacob.* Quid? vos exarmare me! *Ant.* Obsecro, quò ruis Frater! *Alm.* Lacesas etiam! *Alv.* Pereat ferox bellua! *Alm.* Habet! *Jac.* Vah! perii! *Ant.* Miserere Cœlum! *Xav.* Heu miser! *Ant.* Tantum facinus audetis barbari in oculis Patris! *Alm.* Prior arma strinxit adversum nos! *Alv.* Suâ culpâ interiit. *Ant.* Contempti Xaverii poenas frater acerbis luis: precare veniam à DEO vindice, adhuc est Pater! *Jac.* Ah dolor! *Ant.* At vos abite ex oculis saltem! .. *Alm.* Ecce cedimus dolori tuo. *Ant.* Imò, juvate sancti Coelites! jam animam Sanctus agit. Pater! *Xav.* JESU! *Ant.* Heu! exspiras! ô atrox malum mihi! .. jam egit animam! *Jac.* Egredere infelix anima! *Ant.* O JESU, esto JESUS Fratri meo! Salvator esto. Prò boni Superi! jam iste quoque vitam finit. Inter geminas mortes ego vivo: unum AMOR DEI, alterum AMOR SUI occidit! utra mors erit mihi?

O. A. M. D. G.



Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, including the word "König" and "V."

Main body of handwritten text, appearing to be a letter or official document, with several lines of cursive script.

O. A. M. D. C.

